Digitized by Google

9 . 4 . 113

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B I

DE ECCLESIA
ET
EPISCOPIS
SABINENSIBUS
COMMENTARIUS

IN QUO

UGHELLIANA SERIES

EMENDATUR, CONTINUATUR, ILLUSTRATUR

OPERA, ET STUDIO

FAUSTI ANTONII MARRONI

CLER. REGUL. SCHOL. PIARUM.

ROMÆ MDCCLVIII.

TYPIS CCTAVII PUCCINELLI IN TYPOGRAPHIA
S. MICHAELIS AD RIPAM TYBERIS.

SUPERIORUM LICENTIA.

Digitized by Google

Emo , & Rmo Pincipi

JOACHIMO FERDINANDO
PORTOCARRERO
S. R. E. Cardinali & Epiſcopo Sabinenſi

FAUSTUS ANTONIUS MARRONUS CLER. RECUL. SCHOL. PIARUM

SI Commentarius hic meus de Eccleſia , & Epiſcopis Sabinenſibus neque peculiari perfectus induſtria , neque excellenti elaboratus ingenio , neque rerum reconditarum commen-

datus eruditione, neque ipſa ſaltem mole ſpectandus ſe Tibi auſus eſt ſiſtere, Cardinalis amplissime, Tuo ſe nomine ornare, Tua ſe dignitate, atque auctoritate tueri, oro obteſtorque, ne ejus audaciæ temeritatique; ſed partim huic Tuæ, quam ſumma cum laude ſuſtines, Perſonæ Pontificis Sabinenſis, partim humanitati Naturæ tuæ, quæ quidem tanta eſt, quanta Principem virum decet, qui prodeſſe omnibus velit, obeſſe nemini, tribuendum id putes. Etenim, ut verum fatear, ſuæ ſibi ipſe conſcius tenuitatis ad Te in tanta honorum, dignitatum, munerumque ampliſſimorum luce verſantem accedere non audebat. Quid enim auderet tenuis Commentariolus Te virum talem, ac tantum ſpectans generis nobilitate tam clarum, virtute autem tua multo clariorem: avita majorum gloria ob res domi, foriſque geſtas tam cumulatum, Tuis autem potiſſimum ornamentis meritiſque multo cumulatiorem: paternæ Do-

mus ſplendore, opulentiaque tam celebratum, tuorum autem recte factorum fama munerumque feliciter obitorum amplitudine, numero, difficultate multo celebratiorem? Virum inquam talem, ac tantum, quem excellens ingenium, inſtitutio domeſtica, majorum exempla a puero ad præclara quælibet inflammarunt: quem Pietas, Beneficentia, Conſtantia, Æquitas, & Prudentia meritis ſemper in dies majoribus cumulatum ad maxima provexerunt: quem Imperatorem, Regnorumque moderatorem ætas noſtra primo ſuſpexit; inde ſtudiis de repente converſis colendæ Religioni unice addictum Patriarcham, & Cardinalem Epiſcopum admirata ſic eſt, ut Innocentiæ, Integritatis, Probitatis, Vigilantiæ, Largitatis exemplar, & virtute magis, quam dignitate eminentiſſimum prædicet: quem denique ſic egiſſe Proregem, & Principem admirabunda plura regna viderunt, ut Majeſtatem, Severitatemque cum Religione, & Lenitate con-

jungens

jungens moribus, modeſtiaque videretur Epiſcopus; modo vero ſic Cardinalem, & Epiſcopum videamus, ut Religionem & Eccleſiaſticam moderationem cum ſplendore, atque decore copulans majeſtate, & gravitate Proregem, & Principem repræſentet? In hac profecto Excellentiæ Tuæ cogitatione defixus animo concidiſſet; niſi Tua Sabinenſis Epiſcopi dignitas, Tua erga omnes facilitas, incredibiliſque in tam ſplendido rerum apparatu benignitas eum erexiſſent, & confirmaſſent. Multa imprimis, quibus animaretur, animadvertenda ipſi propoſuit Sabinenſis Tuus Pontificatus. De Tuo ſcilicet natus, de Tuo auctus, nequaquam decere, ut lucem aſpiceret hominum, niſi Te Duce, Te Auſpice, Te Patrono. Fluviolis, quod cum magnis, regiiſque fluminibus comparari nullo modo poſſint, non ideo iter ad mare accelerandum non eſſe, cui ſuam originem debeant. Totus in Tui Gregis inſtitutione quum ſis, rerumque Eccleſiæ Tuæ

ſic ſatagas, ut nihil prætermittas eorum, quæ vel ejus utilitati, vel ejus ornamento quoquo modo eſſe poſſint, eum Commentarium Tibi fortaſſe non improbandum, in quo incompoſita præteritorum Sabinenſium Epiſcoporum ſeries digerenda proponitur. Neque quod ex ſcribentis tenuitate propoſitum finem fortaſſe non fuerit aſſequutus, a Te deſpiciendum, qui cogniturus facile ſis, id ſaltem utilitatis ab eo percipi poſſe, ut ſit eruditioribus incitamento, rebus ad meliorem trutinam revocatis, ſeriei tandem rectiſſimæ componendæ. Hæc Sabinenſis Tuus Pontificatus. Humanitas autem Tua, Tuæ naturæ facilitas, moreſque ſuavitatis, amoris, benevolentiæ pleniſſimi, quanto eum metu liberaverunt! Quanta perfuderunt hilaritate! Quantum excitarunt! Quantum recreaverunt! Videbat, nihil eſſe tam exiguum, tam humile nihil, quod Tibi oblatum mira quadam benignitate non exciperes, & amantiſſime complectereris: videbat ad Te

aditum

aditum omnibus patere quam facilem, neminemque a Te redire non hilarem: videbat, nihil Te habere præſtantius, quam omnibus benigne facere, ac ut quiſque maxime opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari: videbat de dignitate, atque auctoritate Tua tunc Te lętari quam plurimum, quum vel alienæ ornandæ virtuti, vel alienæ ſublevandæ calamitati profuiſſent. Tot argumentis humanitatis Tuæ ſibi propoſitis, quid in conſpectum Tuum venire, Clientelæ Tuæ ſe tradere, adhibere in ſui præſidium, & decus auctoritatem Tui nominis vereretur? Vides, CARDINALIS AMPLISSIME, & probe cognoſcis ex his, partim eſſe neceſſitatis, partim voluntatis, quod Tibi uni deferatur, & conſecretur hic Commentarius. Remanet, ut in eo quod eſt neceſſitatis, clementer ignoſcas: In eo vero, quod eſt voluntatis, obſervantiæ in Te meæ ſignificationem tenuem quidem, ſed quam meæ ferunt vires, agnoſcas.

DE

DE ECCLESIA

ET EPISCOPIS SABINENSIBUS

COMMENTARIUS.

I. PRæter Fidenatem, a qua libenter abſtineo, quia de ea jam ſatis multa Coletus (1), tres olim fuerunt in Sabina Provincia Cathedrales Eccleſiæ: *Curenſis*, *Nomentana*, & *Foronovana*. Quintam recentiſſime ex tenebris & oblivione primus omnium excitavit Cl. & doctiſſimus vir *D. Petrus Aloyſius Galletius* Monachus Caſinas, cujus eruditioni ego plurimum debeo propter multa mihi humaniſſime communicata, ex quibus creſcit & hic Commentarius; eamque luculenter expoſuit, & monumentis corroboravit in Opere eruditiſſimo *de Gabiis civitate antiquiſſima Sabinorum* in eo a ſe loco detecta, ubi nunc dirutum oppidum, quod ab Incolis dicitur *Turris*. Hic enim etiam ſuſpicatur eſſe potuiſſe eam ipſam Gabinatem Eccleſiam, quam in Latio ad unum omnes hactenus tenuere. Viri doctiſſimi fundamenta præcipua breviter colligam in appendice de Eccleſia, & Epiſcopis Præneſtinis, ubi de Gabinate illa Eccleſia quid ſen-

Quot, & quæ olim in Sabinis Cathedrales Eccleſiæ.

A tiam

(1) Tom. X. Ital. Sac. de Epiſc. antiqu. ubi de Fidenat.

tiam (neque enim dubito de civitate) libere aperiam . Nunc de ſingulis illis tribus , ex quibus certo ea coaleſcit Eccleſia, quæ nunc una *Sabinenſis* generico nomine dicitur, operæ pretium eſt aliqua declarare, ut ii diſtinguantur Epiſcopi, quos confuſos nulla facta harum Eccleſiarum diſtinctione nobis exhibuit Ughellius: ita tamen, ut quæ vel ab Ughellio ipſo, vel ab iis, qui Ughellium emendarunt & illuſtrarunt, acta jam ſunt, iterum non agantur.

De Eccleſia, & Epiſcopis Curenſibus in Sabinenſi Provincia.

II. Curenſem Eccleſiam, antiqua Curum urbe deſtructa, Nomentanæ conjunctam legimus a S. Gregorio anno 593. (1) : ejuſque Antiſtites vel *Sancti Anthymi* dictos a Templo principe in ea Diœceſi Deo excitato in honorem Sancti illius Martyris, qui pro Fide occiſus dicitur, & humatus in via Salaria vigeſimo ſecundo ab urbe lapide, vel generico nomine *Sabinenſes*; ideo fortaſſe, quod Cures caput olim fuerint univerſæ Provinciæ, ut notum eſt. Et quidem eos in Conciliis ita diſtinctos legimus, quum reliqui vel Foronovani, vel Nomentani in iiſdem Conciliis ſemper fuerint denominati. Sic in Romano Concilio ſub Hilaro anno 465. legimus *Servum Dei* Nomentanum, *Paulum* Foronovanum cum *Tiberio*, qui ſe Curium Sabinorum Epiſcopum dixit. Sic in Romana Synodo ſub Felice III. anno 487. *Aſterium* Foronovanum, *Cyprianum* Nomentanum cum *Feliciſſimo* Sabinenſi, ideſt Curenſi. Sic inter Patres Concilii Romani anno 499. ſub Symmaco *Projectitium* Forinovi, *Serenum* Nomentanum cum *Dulcitio* Sabinenſi, quem

Curenſes Epiſcopi in Sabinis quomodo denominarentur.

(1) Ex ejus Reg. lib. 3. Epiſt. 20. juxta ordinem edit. Cong. Bened. S. Mauri.

Digitized by Google

quem Curenſem clarius ex eo cognoſcimus, quod anno ſequenti in Romana pariter Synodo ſub eodem Summo Pontifice Symmaco ſe *Sancti Anthymi* Epiſcopum dixit. Sic *Bonus* Curenſis Epiſcopus dictus eſt a Pelagio *Savinas* (1). Contra vero *Urſus* ab Innocentio I. dictus eſt Epiſcopus Nomentanæ Diœceſis (2). ſic *Julianus*, quem Baronius cenſet vixiſſe ſub Symmaco anno circiter 504. (3), quum inter Curenſes enumeretur, a S. Gregorio dicitur Pontifex Sabinenſis (4): contra *Gratioſus*, cui Curenſem commendat Eccleſiam, Nomentanus ab eodem denominatur (5). Neque modo Curenſes Epiſcopos dictos legimus Sabinenſes in iis Conciliis, in quibus adeſſent una & Foronovani & Nomentani, ſed etiam Gabinates & Fidenates Epiſcopi (6). Id dictum, & firmum volo, ut qui infra referendi Epiſcopi ſunt, cognoſci facile poſſit, cui Eccleſiæ tribuendi.

III. Cures ibi ſtetiſſe Coletus autumat, ubi dirutum oppidum *Turris*; iiſque per Langobardos deletis Epiſcopalem ſedem ad Templum Sancti Anthymi fuiſſe deductam (7). Quantum receſſerit a veritate ex iis conſtat ſatis aperte, quæ de civitate Gabiorum in eo ipſo loco Gallettus docet in libro laudato. Holſtenio plerique conſentiunt, Cures ibi fuiſſe, ubi nunc oppidulum, vulgo *Coreſe*, *Cureſius*, quod aliqualis nominis conſonantia confirmare videtur ad- *Cures ubi in Sabinis eſſent*

A 2 modum

(1) In Ep. apud Grat. part. 2. Cauſa 16. quæſt. 1. can. 31.
(2) Ep. 7. apud Lab. tom. III. Conc.
(3) Ad annum 504.
(4) Dial. lib. 4. cap. 4.
(5) Ep. 20. lib. 3.
(6) Vide Concil. ſub Sym. anno 501., & 502. Tom. IV. Concil.
(7) In antiq. tom. X. Ital. Sac. ubi de Curen. in Sabinis.

modum probabiliter (1). Quare, quum ibi etiam Sancti Anthymi Templum fuerit cum nobili Monachorum cœnobio [in actis enim humatus dicitur Sanctus ille Martyr in via Salaria vigeſimo ſecundo ab urbe milliario: quod in apographis Hieronymianis, Lucenſ. Corbejenſ. Bodacenſ. Barberin., aliiſque confirmatur] arbitror, Curenſis Eccleſiæ ſedem, quoaduſque Nomentanæ ſæculo ſexto adjuncta non fuit, loco nunquam motam fuiſſe.

IV. Conjunctam a Magno Gregorio Eccleſiæ Nomentanæ Curenſem perpetuo fuiſſe non cenſet cum Dominico Macrio Georgius (2), ſed ſibi non multo poſt reſtitutam: propterea quod animadvertens in Synodo Lateranenſi ſub Martino I. anno 649. ſubſcripſiſſe *Joannem Vico -- Sabinatem*, putat hunc fuiſſe Curenſem Epiſcopum, qui ſe ita denominaverit, quod Cures in vicum tunc evaſiſſent. Siquid tamen haberet roboris hæc conjectura, ab ipſo Eccleſiæ ejus exordio ita denominari debuiſſent Curenſes Epiſcopi: imo Foronovani, & Nomentani. Certum enim eſt teſtimonio Strabonis, non ſolum Cures ſuis temporibus exigui vici formam habuiſſe (3), ſed & Nomentum πολίχνιον oppidulum fuiſſe, & cetera Sabinorum loca pagis potius, quam urbibus annumerata. Quare cenſeo probabilius Epiſcopum illum ita ſe debuiſſe denominare a *Colle de. Vico* Eccleſiæ finitimo Sancti Euthymii, ubi ſedem habebat Epiſcopus Foronovanus, ſicuti Coletus animadvertit. (4)

Epi-

(1) Vide ejuſdem adnotat. Geograph. pag. 17., & Ital. antiq. pag. 107. apud Aug. Lubbinum in notitia Abbatiarum Italiæ litt. A pag. mihi 17.

(2) De Cath. Sel. num. XXII.

(3) Lib. 5.

(4) Tom. X. Ital. Sacr. ubi de Epiſc. Foronov. inter antiquat.

Epiſcoporum Curenſium Series.

1 Tiberius
2 Feliciſſimus
3 Dulcitius
4 Julianus
5 Bonus.

De Eccleſia, & Epiſcopis Nomentanis in Sabinenſi Provincia.

V. Quos Coletus numeravit Epiſcopos Nomentanos (1), quum in Conciliis, quibus interfuerunt, ſe ita denominaverint, nullum dubium eſt, quin, ſi Coſmum, aut Coſmatem excipias, quem Nomentanum facit Epiſcopum, quum tamen in Concilio Romano ſub Eugenio II. anno 826. *Epiſcopus* dicatur *Humanæ*, quæ urbs fuit in Piceno, ut notum eſt, ceteri omnes ita ſint Epiſcopi Nomentani, ut cum Foronovanis confundi non debeant. Difficultas, & quidem gravis ſita eſt in iis diſtinguendis Epiſcopis, qui, quum denominati fuerint generico nomine *Sabinenſes*, quo tempore utraque ſtabat Eccleſia, utri adſcribendi ſint, ignoramus. Sententiam meam in re maxime dubia paucis exponam.

Quo tempore utraque erat Eccleſia Nomentana, & Foronovana, quæ diceretur generico nomine *Sabinenſis*.

VI. Animadverti autem, *Nomentanos* Epiſcopos ad Sæculum uſque decimum inveniri a *Nomento* denominatos, Imo etiam ad undecimum, ſi *Hugonem*, quem in Concilio Romano ſub Nicolao II. anno 1059. legimus *Numantinum*, Nomentanis cum pleriſque accenſeamus, de quo nos infra. Contra vero *Foronovanos* ad ſæculum ſolum ſextum reperiri ſic dictos Nam poſt *Projectitium*, quem Epiſcopum legimi *Fori*

(1) Tom. X. Ital. Sac., ubi de Noment.

Digitized by Google

Fori novi in Synodo Romana anni 502. ; altum deinceps eſt de Epiſcopis *Foronovanis* ſub hac peculiari voce profundumque ſilentium; etiamſi certiſſimum ſit, cathedram Epiſcopalem Forinovi apud Templum quondam Sancti Euthymii, poſtea Sanctæ Mariæ uſque ad Alexandri VI. tempora perſeveraſſe (1). Animadverti ſecundo, quod, etſi Epiſcopi Nomentani propter unionem Curenſis Eccleſiæ videri poſſint in ejuſdem juribus ſuccedere debuiſſe, ideoque dici generico nomine *Sabinenſes*, nihilominus tamen, Foronovanos poſt Curenſem Eccleſiam Nomentanæ conjunctam id ſibi juris uſurpaviſſe, & ſe denominaviſſe Sabinenſes, id certum eſt. De Nomentanis vero non ſolum eſt dubium; ſed nullum omnino eſt, quo probari id poſſit, exemplum. In Synodo Lateranenſi, ſub Martino I. anno 649. *Joannes* Foronovanus ſe *Vico-Sabinatem* inſcripſit, ut diximus: quum in eadem Synodo *Sapientius* ſe dixerit Nomentanum. *Tonſſo*, ſeu *Tiriſſo* in Concilio Romano ſub Zacharia anno 743. ſe *Sabinenſem* denominavit, quum *Benedictum* in eodem Concilio *Nomentanum* legamus ſcriptum. *Joannes* ſæculo decimo, vel undecimi initio Epiſcopum *Sanctæ Sedis Sabinenſis* ſe ſcribi juſſit (2): quum *Joannes* alter anno 964. in Romana Synodo ſcriptus ſit *Nomentanus*. Hugonem *Numantinum*, ſeu *Nomentanum* legimus in Concilio Romano ſub Nicolao II. anno 1059., unaque Joannem *Sabinenſem* ſive Foronovanum. Ex his videor ſatis probabiliter poſſe colligere, eos Epiſcopos, quos ſtante utraque Sede legimus Sabinenſes, Foronovanis accenſendos eſſe, non Nomentanis. Itaque & *Martianus*, ſeu *Martinianus*, qui in Concilio Romano ſub Gregorio II. anno 721. *Sabinas* dicitur [ſi inter Sabinenſes Epiſcopos ſit recenſendus, quum

(1) Ex litt. Apoſt. Alex. VI. datis 14. Kal. Octob. anni 1495.
(2) Vide quæ infra dicturi ſumus num. XX.

quum in præſatione, in qua Patres ènumerantur Concilio præſentes, *Gabinas* dicatur] & *Samuel* in Romana Synodo ſub Eugenio II. anno 826., & *Sergius* in aliis Synodis ſub Nicolao I. anno 853., ſub Adriano II. anno 868., & 871. & *Joannes* in Concilio Romano ſub Benedicto IX. anno 1037., & *Joannes* alter in alio Romano Concilio ſub Leone IX. anno juxta Pagium 1050., aliique non pauci quum *Sabinenſes* denominentur, per me nullum eſt dubium, quin inter Foronovanos ſint collocandi.

VII. Major oritur difficultas ab iis Epiſcopis, quos vel in *Sabinis*, vel in *territorio*, & *Provincia Sabinenſi* Epiſcopos legimus. Quum enim utraque Eccleſia fuerit in Sabinis, & Sabinenſi provincia, non poſſumus facile judicare, Foronovani ne fuerint, an Nomentani. Id ex circumſtantiis unice pendet, quæ ſolæ præferre lucem poſſunt, ne fallamur in judicando. His manuductus locum in hac ſerie arbitror concedendum Epiſcopo illi *Joanni*, quem ex Farfenſi antiquiſſimo monumento Gallettus in lucem protulit, cenſuitque Eccleſiæ Sabinenſi præfuiſſe anno 800., nulla facta diſtinctione inter Eccleſias Foronovanam, & Nomentanam, quod ad ipſum alia ſpectantem non pertinebat (1). Quum enim in eo *Halaboltus Abbas, & Miſſus Domini Pipini Regis Cellam Sancti Petri in Claſſicella Monaſterio Farfenſi contra Brixienſes adjudicaverit, tradideritque IN IPSA MISSA SANCTI ANTHTMI ſub die xi. Menſis Maii Indictione viii.* (fortaſſe viiii.) *anno Deo propitio Domini Karoli Regis, & Filii Ejus Pipini xxii., & xx. in diebus illis, quando Domnus Karolus ad imperium coronatur EPISCOPO JOANNE PRÆSENTE*, qui confectis hac de re litteris publicis nomen ſuum appoſuit nulla loci facta mentione, in quo hæc acta fue-

Quomodo ſi Epiſcopi diſtinguendi, & cui Eccleſiæ tribuendi, quos legimus fuiſſe *in Sabinenſi provincia* ab Eccleſia nulla denominatos.

Joannes Epiſc. in Sabinis Ughellio ignotus anno 800. cui Eccleſiæ præfuerit.

(2) Libr. laud. pag. 60.

ſuerint, innui, niſi fallor, videtur Eccleſia Nomentana, cujus Joannes ille eſſet Epiſcopus. Circumſtantia enim illa tàm peculiariter addita de traditione ejus Cellæ facta ab Halabolto die xi. menſis Maii, qua Sanctus Anthymus martyrii lauream adeptus fuit, eo ipſo tempore, quo in honorem Sancti ejuſdem Martyris Miſſa ſolemni ritu ab ipſo Epiſcopo, ut conjectare licet a præsbyterorum, & miniſtrorum eidem ſervientium numero, inter quos unus Diaconus, & duo Subdiaconi, celebrabatur, eam Eccleſiam videtur ſignificare, in qua ſanctus ille Martyr tamquam primus Patronus cultum obtinuerat peculiarem. Hæc autem eſſe debuit Nomentana, quæ propter Eccleſiæ Curenſis unionem, de qua ſupra, peculiarem apud Deum in Patronum eum adſciſcere ſibi debuit, ejuſque feſtum diem ex aliis omnibus ſolemnem agere. Fortaſſe etiam ea cella, cujus quoque apud Mabillonium eſt mentio, erat in Nomentana Diœceſi, idque fuit in cauſa, cur in ipſa Farfenſibus Monachis traderetur, & probabiliter quidem in ipſo Sancti Anthymi templo apud Cures, quod tunc Abbatiæ titulo erat inſigne (1). Statuendum igitur hunc Epiſcopum cenſeo *Villarium* inter, atque *Joannem alterum*, quorum prior hanc regebit Eccleſiam anno 754., ſecundus anno 964., ut apud Coletum. Alios Epiſcopos, qui reliquas amplæ hujus lacunæ partes impleant, futura fortaſſe proferet ætas.

Anaſtaſius Ughellio ignotus Epiſcopus in Sabinis anno 948. in qua ſerie numerandus.

VIII. Iiſdem circumſtantiis facem præferentibus, accenſendum etiam arbitror Nomentanis Epiſcopis *Anaſtaſium*, quem Mabillonius, & Gallettus in Farſenſibus monumentis Epiſcopum repererunt in Sabinenſi Provincia menſe Septembris anni 948. die non indicato (2). Etenim quum eodem menſe, eodemque anno, die pariter prætermiſſo, in iiſdem monumentis *Joannem*

(1) Mabil. tom. II. Annal. lib. XXVIII. num. XVIII.
(2) Lib. laud. pag. 16.

nem Gallettus invenerit Epiſcopum, me judice, *Foronovanum* (1), facile quiſquis intelligit, Anaſtaſium non niſi Nomentanæ Eccleſiæ præeſſe debuiſſe: niſi affirmare velimus, duos fuiſſe eodem tempore ejuſdem Foronovanæ Sedis Epiſcopos, aut eo ipſo menſe, quo Anaſtaſius obierit, fuiſſe ſuffectum illi Joannem; adeo ut paucorum dierum ſpatio & Anaſtaſius exceſſerit, & Joannes deſſignatus non modo Epiſcopus ſit, ſed & conſecratus, & in ſede locatus. Joannem in Cathedra Foronovana ſediſſe, non Nomentana, ex eo judicio colligere videor, quod *Gabiniani* habitum eſt anno ſequenti 949. *temporibus Domni Agapiti Sanctiſſ. & uniu. Papæ & viri ven. JOANNIS EPISCOPI & Teuzonis Comitis Rectoriſque Territorii Sabinenſis Menſe Septembris per Indictionem VII.* (2). Etenim quum oppidum *Gabiniani*, quod, ut videtur, juris erat Joannis Epiſcopi, ſitum eſſet trans *Calentinum rivum* Umbriam verſus, ita ut Forumnovum medium jaceret inter Gabinianum ipſum, atque Nomentum (3), non poterat non eſſe in Foronovana Diœceſi.

Joannes Epiſcopus in Sabinis Ughellio ignotus anno 948. cujus Eccleſiæ eſſet Pontifex.

IX. Agmen Nomentanorum Epiſcoporum hactenus creditus fuit claudere *Joannes* hujus nominis ſecundus, qui anno 964. in Romano Concilio Leonem Pſeudopontificem condemnavit. Fuiſſe tamen Nomentanos Epiſcopos anno adhuc 1059. *Hugo* ſignificat, qui Concilio Romano ſub Nicolao II. ſubſcripſit. Ut verum fatear, *Numantinus* ibi reperitur inſcriptus, & non deſunt, qui Humanatenſi Eccleſiæ in Piceno accenſendum ſuſpicentur, inter quos Dominicus Georgius,

Hugo anno 1059. Epiſcopus Nomentanus in Sabinis, non Humanas in Piceno.

B

(1) Ibidem.
(2) Apud Gallettum lib. laud. pag. 16.
(3) Conſule Cartam topograph. a Galletto libro laudato præmiſſam.

gius (1). Eſt autem communior opinio fuiſſe Epiſcopum in Sabinis. Quare Labbeus in margine pro *Numantino* legendum admonet *Nomentanum*, & quidem merito, ut ſentio. Etenim *Hugo* eo anno Humanas Epiſcopus eſſe non poterat. Guillelmus enim, qui in Victoris II. diplomate pro Aprutina Eccleſia anno 1056. *Humanæ* Epiſcopus dicitur (2), in alio diplomate Alexandri II. pro Eccleſia Foroſemproni enſi anno 1070. eodem modo denominatus occurrit (3). Quum igitur Guillelmus Humanatenſem Eccleſiam rexerit ab anno 1056. ad annum 1070., non poterat Hugo eidem Eccleſiæ præeſſe anno 1059. Me non latet Alexandri Apoſtolicas litteras non datas dici ab Ughellio anno 1070., ſed 1062. Præter quam quod tamen nihil per hoc adductæ probationi detrahitur, quum Hugonem ab Humanatenſi Cathedra anno 1059. æque Guillelmus excludat, ſive Humanas Epiſcopus fuerit anno 1062., ſive anno 1070., eruditiſſimus P. Abbas *Sartius*, quem ego honoris cauſa nomino, & tanti facio, ut neminem pluris, hanc ſuſtulit difficultatem. Quum enim animadverteret apud Ughellium datas dici menſe Maii die 10. Indictione 13., eam vero Indictionem neque in annum 1062., neque in ullum Alexandri II. incidere, prudenter cum immortalis memoriæ viro Abbate Grandio conjectavit, Amanuenſium errore pro Indictione VIII. poſitam fuiſſe XIII., V. in X. commutata, quo nil probabilius. De qua re quum voluerit fieri certior, impetravit, ut ex ipſæ litteræ in tabulario aſſervatæ Foroſempronienſis Eccleſiæ inſpicerentur diligentiſſime. Quod quum factum eſſet ab Illuſtriſſimo viro Joanne Baptiſta Lactantio tunc ejus Eccleſiæ Præpoſito, modo vero Tifernatium Epiſcopo, reper-

(1) De Cath. Setina num. XXI., ubi de Nomentan.
(2) Eſt in Aprutinis ad Petrum n. in Ugh. Serie 10.
(3) Eſt in Foroſempron.

repertum fuit, verum eſſe, quod fuerat conjectatum: Chronicas ſcilicet earum litterarum notas ſe in hunc modum habere. *Actum menſe Maii, die vero xv. Indictione viii.* Ideoque datas ab Alexandro anno 1070, quo eo Pontifice octava cucurrit Indictio non 1062. (1). Scio præterea hanc veritatem etſi confirmatam teſtimonio cum Coſmæ Pragenſis, tum etiam oculorum nequaquam probari VV. Cll. Mittarellio, & Coſtadonio (2). Primo quia Alexander menſe ſequenti erat Arretii; Secundo quia *Mainardus Sutrienſis Epiſcopus*, qui in eo Concilio inter Patres aſſedit, in vivis anno 1070. eſſe deſierat; quum anno 1066. *Joannes Sutrinus* Epiſcopus, qui Mainardi ſucceſſor dicitur a Lucentio, privilegio ſubſcripſerit Alexandri II. pro Monaſterio Sandioniſiano. Impetrata vero a viris eruditiſſimis venia, hæ difficultates non videntur mihi ſic ponderoſæ, ut & auctoritas Scriptoris Syncroni, & oculorum certiſſimum teſtimonium, & quæ a Sartio adducta ſunt ad ætatem ejus diplomatis confirmandam corruere debeant. Ad primum quod pertinet, non video probabilitatis fines excedere, Alexandrum die Maii decima quinta Romæ, die vero Junii octava Arretii eſſe potuiſſe: præcipue quum ſciamus, eo anno Alexandrum Lucam ſe contuliſſe, ut eam urbem inviſeret, cujus adhuc erat Epiſcopus (3). Neque majus mihi negotium faceſſit ſecundum. Hujuſmodi enim privilegia Monaſterio Sandioniſiano conceſſa, quæ ab Epiſcopis appoſito eorum nomine fuerint confirmata, ut indagaverim diligenter, nullibi datum eſt hactenus mihi legere: non apud Labbeum, non apud Mabil-

 lonium,

(1) Conſule eumdem Sartium de Eccl. Eugub. ad S. Rodulphum in Coment. prævio num. XX. pag. 45.

(2) Tom. II. Annalium Camald. lib. 16. ad annum 1060. num. XXX.

(3) Conſule Franc. M. Florent. lib. 1. Monum. Matild.

lonium, non apud Manſium. Epiſtolam ad Gervaſium Remenſem Epiſcopum datam ab Alexandro II., in qua hujuſmodi privilegia in quodam Concilio agitata, atque Monaſterio Sandionifiano contra Gaufridum Pariſienſem Antiſtitem adjudicata ſummus idem Pontifex memorat, apud Labbeum legi, & Mabillonium (1). Quo vero anno habitum Concilium hoc fuerit, quique Epiſcopi adfuerint, ſilet uterque. Quod ſi illi Concilio ſupponant aliud habitum ab eodem Alexandro II., in quo idem *Joannes Sutrienſis* Epiſcopus legitur, illud ſcilicet, quod ex veteri codice Ferrarienſi eruditiſſimus Manſius eduxit (2), in quo deturbato de Ferrarienſi Sede, & Communione privato Samuele, conſecratus dicitur Gratianus, non erit difficile reſpondere, Concilii hujus ætatem eſſe adhuc ignotam. Celebratum probabiliter fuiſſe anno 1071. Manſio aſſentiuntur ipſimet Mittarellius, & Coſtadonius (3). Quod ſi verum eſt, annus 1070. Foroſempronienſis diplomatis remanet inconcuſſus. Quid enim improbabile minus, quam vel anno ipſo 1070. poſt illud diploma manu ſua firmatum, vel ſequentis initio obiiſſe Mainardum, locumque in Sutrina Sede feciſſe Joanni? Sed de his alibi accuratius. Ceterum quum in eo ipſo Concilio inter cetera Epiſcoporum nomina immaniter in eo codice vitiata etiam legatur *Vulielmus Numanus*, ideſt Guillelmus *Humanas*, quæ de Hugone Nomentano, & non Humanate ſupra diximus, confirmantur, ut egregie idem Manſius animadvertit.

Nomen-

(1) Lab. Tom. XII. Concil. ep. 20. Mabil. tom. IV. Annal. lib. LXI ad an. 1062. num. CXVII.
(2) Tom. III. Suppl. Concil. col. 1383.
(3) Tom. II. Annal. Camal. lib. XIX. ad annum 1071. pag. 339.

Nomentanorum Epiſcoporum ſeries aucta, & emendata.

1 Urſus
2 Servus Dei
3 Cyprianus
4 Serenus
5 Romanus
6 Felix
7 Redemptor
8 Gratioſus, qui & Gratianus
9 Conſtantinus
10 Generoſus
11 Sapientius
12 Paulus
13 Benedictus
14 Villarius
15 Joannes I. (1)
Coſmas, qui & Coſmus (2)
16 Anaſtaſius (3)
17 Joannes II.
18 Hugo (4)

De Eccleſia, & Epiſcopis Foronovanis, qui poſtea Sabinenſes.

X. Nomentana Eccleſia poſt inclinatum undecimum ſæculum Foronovanæ conjuncta, quæ tres prius fuerant Epiſcopales Sedes, in unam coaluerunt anno circiter 1060. Ab eo ſcilicet ſolum tempore nullum am- Nomentana quando Eccleſiæ Foronovanæ conjuncta.

(1) De eo vide ſupra num. VII.
(2) De eo vide ſupra num. V.
(3) De eo vide ſupra num. VIII.
(4) De eo vide ſupra num. IX.

Digitized by Google

amplius occurrere video, qui vel *Foronovanus* dictus fuerit, vel *Nomentanus*, ſed omnes generico nomine *Sabinenſes*. Ante unionem hanc qui Nomentanis, qui Foronovanis ſint accenſendi, ſupra obſervavimus. Remanet, ut qui expungendi ſunt, expungantur, qui in tenebris hactenus latuerunt, proferantur in lucem, iiſque ſua tribuatur ſedes, qui loco moti non propriam hactenus tenuerunt.

S. Laurentius utrum, & quando fuerit Epiſcopus cum Sabinenſis, tum Spoletanus.

XI. Poſt *Paulum*, *Aſterium*, & *Projectitium*, de quibus ex Conciliis, quibus interfuerunt, dubitare non licet, quarto loco ex Lucentio, atque Coleto *Sanctus Laurentius* occurrit (1). Hunc Ughellius in ſua Sabinenſium ſerie collocat numero *16.*, arbitraturque anno circiter 1000. floruiſſe. Lucentius verò ad ſæculum ſextum retrahit ſaniore conſilio, cenſetque rectam ab eo Foronovanam Eccleſiam anno circiter 550. (2), poſtquam Spoletanam annos undecim adminiſtraverat. Quoniam res eſt admodum dubia, & ad quæſtionem vocanda, ut rectum ordinem teneamus, pauca prius de Sancti hujus Laurentii ætate dicemus, inde de ejuſdem Pontificatu.

XII. Præmittendum, hunc eum dici Laurentium, quem ex Syria in Italiam veniſſe una cum Sanctis Iſaaco, & Joanne in Farſenſi Chronico legimus (3). Quum vero de Sancto Iſaaco ſic ſcriptum reliquerit Sanctus Gregorius magnus = *Prioribus quoque Gothorum temporibus fuit juxta Spoletum Urbem Vir vitæ venerabilis Iſaac nomine, qui uſque ad extrema Gotho-*

rum

(1) Tom. I. Ital. Sacr. in Sabin. num. IV. Tom. X. ejuſdem in Foronovanis num. IV.

(2) Ibid.

(3) Fol. 51. & ſeqq., ubi ſic -- *Tempore Romanorum, priuſquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, tres viri de Syria advenerunt, Sanctus Iſaac, Joannes, atque Laurentius* --.

rum tempora pervenit (1), hinc variæ diſtractæque cum de Iſaaci, tum de Laurentii ætate ſententiæ. Gregorius Catinenſis, qui anno 1090. Farfenſis Chronici Scriptor fuit, priora, & extrema Gothorum tempora intelligens, quæ a Radagaſo anno 406., & Alarico anno 410. Italiæ invaſoribus ad Juſtinum juniorem fluxere centum, & ſexaginta annorum ſpatium comprehendentia Iſaaco univerſa concedit, præter ea, quibus jam vixerat, antequam in Italiam veniret. Sed hæc opinio & rationi non congruit; & probabilitatis fines excedit. Gregorius alter Romanus Abbas Sancti Matthæi in ſuis Cœnobii Farfenſis annalibus, quos anno 1643. ſcribebat, veniſſe in Italiam autumat Sanctum Laurentium anno Chriſti 363., Juliani vero Apoſtatæ ſecundo, eumque ea circiter tempora floruiſſe. Hoc verò, & ignoto hactenus nititur fundamento, & cum Sancti Gregorii dicto non convenit. Ughellius ſibi bene non conſtans inter Spoletanos Antiſtites eum collocat ſæculo ſexto, eumdemque inter Sabinenſes ſæculo decimo. Præſul Clariſſimus, & a me honoris cauſa ſemper commemorandus *Ludovicus de Valentibus*, qui præter cœtera, eaque egregia munera in Curia Romana Promotorem, ut vocant, egit Fidei cum magna nominis commendatione, ſupra ceteros acu rem tetigiſſe videtur occaſione diſſertationis *Super Sanctorum officiis, quorum conceſſio pro Sabinenſi Diœceſi* poſtulabatur. *Quantum attinet*, inquit eruditiſſimus vir, *ad priora Gothorum tempora, ea repetenda non ſunt ab Alarico Gothorum Rege, qui anno Chriſti* 410. *prædonum more Italiam populatus ab ipſa receſſit; ſed ab anno, quo Theodoricus Amalus Oſtrogothorum Rex Italia potitus Gothicum Regnum in ea conſtituit: initium vero* Theo-

(1) Lib. 3. Dial. cap. 14.

Theodoriciani Regni vel a victo in Veronenſi prælio Odoacre Herulorum Rege anno 489. , *vel ab eodem occiſo Ravennæ anno Chriſtianæ eræ* 493. *ſumendum eſt*. *Duæ namque Epochæ*, *ut Pagius advertit*, *in Theodorici regno diſtinguendæ ſunt*. *Altera ab Odoacre victo*, *juxta quam ſecundum Anonymum Valeſianum regnavit annis* 37. *Altera ab Odoacre occiſo*, *juxta quam*, *ut Procopius ſcribit*, *regnavit annis* 33. *uſque ad annum Chriſti* 526. *Poſtrema vero Gothorum tempora protrahuntur ad annum Chriſti* 554. , *quando a Narſete Eunucho funditus Gothorum regnum everſum eſt*. *Quam opinionem viri critici comprobant*, *eique præ cæteris adhærent Jacobillus apud Bollandum in Actis Sanctorum ad diem* 3. *Februarii*; *Dacherius in Actis Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti ſæculo primo ad annum* 576. *Henſchenius*, & *Papebrochius in Actis Sanctorum ad diem* 2. *Menſis Aprilis in præfatione ad vitam S. Iſaac*, *multaſque conjecturas*, & *momenta valida ex Sancto Gregorio Papa*, *ipſoque Farfenſi Chronico eliciunt*, *quæ indicatum aſſertum de ætate Sancti Laurentii ſæculo Chriſti ſexto figenda magis magiſque fulciunt*.

XIII. Hæc de ætate Sancti Laurentii: & quidem poſito, quod cum Sancto Iſaaco venerit in Italiam: quod tamen adeo certum non eſt, ut nefas ſit dubitare. Si enim excipias Farfenſe Chronicon, ſive Gregorium Catinenſem ſcriptorem Farfenſis Chronici, nullus eſt ſcriptor, a quo id afferatur inter antiquos. Pauca nunc de ejuſdem Pontificatu ſive Spoletano ſive Foronovano, vel Sabinenſi. De eo nihil habemus certi. Nullus eſt vel ejus ſæculi, vel proximorum ſcriptor: monumentum, quod ſciam, nullum, a quo vel Spoletanus, vel Sabinenſis ejuſdem Pontificatus commemoretur. Magnus ipſe Gregorius in ſcribendis diligentiſſimus mirabilibus Sanctorum virorum operibus

qui vel ſuo , vel proximo vixiſſent ævo , & in iis enarrandis accuratiſſimus , quæ vel miraculum ſaperent , vel portentum , quemadmodum in ejus Dialogis legimus , de hoc Sancto Laurentio nihil . Nihil de tam celebri illo illuminandorum cæcorum dono , ex quo dictus fuit *illuminator* : nihil de miraculoſa illa portarum Urbis aperitione , quum *Laurentio in Urbem adventanti Spoletani promiſcue cives exteri hominis promotionem ad ejus Civitatis Epiſcopatum indigne ferentes eas occluſiſſent ingreſſum prohibituri* (1) : nihil demum de Farfenſis fundatione Cœnobii , & Epiſcopatu iterum dimiſſo. Fateor hoc argumentum ex iis eſſe , quæ *negativa* dicuntur . Sed mihi Sancti Gregorii diligentiam , imo , ſi fas eſt dicere , facilitatem in hiſce ſcribendis , atque vulgandis conſideranti , animoque advertenti , quanta de Sancto Iſaaco Sancti Laurentii Socio Sanctus Pontifex ſcripſerit , & quam frequenter ab eo fuerint commemorata ea miracula , quæ a Deo per Sanctos viros ſive Spoleti , ſive in Sabinis credebantur fuiſſe perpetrata , *negativum* hoc argumentum pro alio eſt quolibet maxime *poſitivo* . Utinam ſaltem qui poſt multa ſæcula eum dixerunt Epiſcopum , ſecum ipſi convenirent . Jacobillus ſuffectum ſcripſit *Joanni Epiſcopo Spoletano* a Vigilio ſummo Pontifice , poſtquam ab Hormiſda relatus fuerat in numerum Clericorum (2): & annis undecim in Epiſcopatu Spoletano peractis eo ſe abdicaſſe , & Monaſterium Farfenſe fundaſſe , de Epiſcopatu Sabinenſi nulla facta mentione . Gregorius Romanus Abbas , de quo ſupra , Spoletanum Sancti Laurentii Pontificatum ſilentio tegit altiſſimo : cumque ſolum commemorat

(1) Ex vita Ital. Jacobilli latine reddita per Bolland. ad diem 3 Febr.

(2) Ibidem . Conſule etiam Acta Sanctorum Ordinis Bened. tom. I. ubi pag. mihi 220. de S. Laur.

ex Epiſcopo Sabinenſi Cœnobii Farfenſis Fundatorem, & primum Abbatem, teſtaturque ſe hæc accepiſſe a duobus Gregoriis, a quibus ejuſdem Cœnobii hiſtoria fuerat concinnata, quorum alter anno vivebat 860., alter Catinenſis dictus 1090. Sed horum fides eſt apud ipſum; In his enim, quæ etiam num aſſervantur in Farfenſi Cœnobio, Gregorii ſecundi ſcriptis nihil tale legitur: Gregorii vero primi ſcripta nulla amplius ſunt (1). Mabillonius Eum primo fuiſſe aſſerit Cœnobii Farfenſis Abbatem, & Fundatorem, inde Antiſtitem Spoletanum, nullo tamen auctore laudato, a quo hæc acceperit (2). Neque aliquid certius ab his habemus, ſiqui ſunt, qui Sanctum hunc Laurentium memorent antiquioribus ſæculis. Joannes VII., quum anno 707. Templum Farfenſe dedicaviſſet, in peculiari diplomate, quo monaſterii cenſus confirmavit, eum Epiſcopum dixit; ſed cujus Eccleſiæ Epiſcopus fuerit, ſiluit (3). Sanctus Petrus Damiani Sabinenſem eum Epiſcopum credidit, non Spoletanum (4). Imo extra dubium fortaſſe omnino non eſt, de eo Sancto Laurentio habuiſſe ſermonem, quum eum minime nominet. Hæc enim ſunt ejus verba. *Epiſcopus etiam ille Sabinenſis, qui ſolium Pontificale deſeruit, & Farfenſe Monaſterium contempta Sacerdotali dignitate conſtruxit, quam nobilis in Chriſto vir fuerit, teſtis eſt antiqua traditio, quæ Sanctitatis ejus inſignia celebrat; teſtis eſt moderna devotio, quæ piam ejus memoriam in devotione frequentat.* In tanta Sententiarum varietate, & monumentorum defectu judicium certum ferre quis poſſit? Donandum tamen aliquid

cenſeo

(1) Ex Armel. de viris illuſt. Caſin.
(2) Tom. I. Annal. Bened. lib. 1. n. XIV.
(3) Conſule acta Sanct. Ord. S. Bened. loco laud.
(4) In Epiſt. 9. ad Nicol. Papam II. ſeu Opuſc. 9. de abdicat. Epiſc. cap. 1.

cenſeo ſive Sabinenſium, ſive Spoletanorum antiquiſſimæ traditioni: Sabinenſium, quia ipſis, ut verum fatear, Sancti Petri Damiani auctoritas ſuffragatur; Neque enim alium, quam Sanctum Laurentium, potuit ſignificare, qui revera Monaſterium Farfenſe primus inſtituit: Spoletanorum, quia ejuſdem Sancti Laurentii corpus tamquam Epiſcopi ſui ſupra omnem memoriam temporum ſemper religioſiſſime coluerunt. Sed revertendum ad ſeriem eſt.

XIV. Ex Ughellio ſequitur *Borſus*, qui & *Bonus*: Cui locum in hac ſerie conceſſit, propterea quod ad eum ſcribens Papa Pelagius Sabinatem vocat Epiſcopum (1). Quum vero anno 580., quo ea data fuit Epiſtola, nec Nomentanæ fuiſſet adhuc adjuncta Curenſis Eccleſia, nec Foronovana Sabinas generico nomine diceretur, ſed Curenſes unice Epiſcopi hac honorifica denominatione gauderent, ut ſupra probavimus, *Bonum* hunc ad Sedem propriam inter Curenſes poſtliminio cenſui reducendum. Itaque quis Sancto Laurentio ſuffectus fuerit, ignoramus: Quum ad annum uſque 649., quo Eccleſiam hanc adminiſtratam ſcimus a Joanne I., qui in Romano Concilio ſe *Vico -- Sabinatem* denominavit, nullus alter occurrat. Poſt Joannem alter patet hiatus ad annum uſque 721., quo *Martianus Sabinas* Romano Concilio ſubſcripſit. In præfatione *Gabinas* dicitur. Ego vero majorem adhibendam cenſeo fidem Martiano ſe ipſum ſua manu in Concilii fine ſcribenti, quam cuilibet de ipſo in præfatione narranti.

Bonus, ſive Borſus Curenſis non Foronovanus Epiſcopus anno 590.

Martianus Sabinas potius, quam Gabinas Epiſcopus.

XV. Martianum excepit Tonſſo, qui & Tiſſo, & Teuſſo & Tiriſſo, ſeu alio quovis nomine: & hunc ex Lucentio ſequutus eſt *Iſſa*. Quum vero Epiſcopus hic ex ea donatione conſurgat, quæ dicitur facta a Carolo Magno Monaſterio Sancti Anaſtaſii ad tres fontes, legitur-

Iſſa non fuit Epiſcopus Sabinenſis tempore Caroli Magni.

(1) Eſt inter Cur. tom. X. Ital. Sac. ad hunc,

giturque in Oſtienſibus, eum arbitror expungendum: Donationem enim illam collocandam inter monumenta conficta alibi probatum a nobis eſt cum Muratorio, cum Holſtenio, ipſoque Lucentio (1), ut proinde ſatis mirari non poſſim, huic Epiſcopo locum hic dediſſe Lucentium, qui & donationem hanc alibi condemnavit, & nullos plane eos Epiſcopos cenſuit, qui in illa commemorantur (2). Hujus loco *Petrum* ſufficio a Scriptoribus omnibus oblivioni mandatum. Reviviſcit Epiſcopus hic beneficio Farſenſium monumentorum, ex quibus eum nuperrime Gallettus eduxit. Monumentum hujuſmodi eſt (3). *In nomine Dei Salvatoris noſtri JESU CHRISTI Regnante Domno noſtro KAROLO viro excellentiſſimo Rege FRANCORUM atque LANGOBARDORUM anno Regni ejus IN ITALIA V Sed & temporibus Domni viri glorioſi HILDEPRANDI Summi Ducis Ducatus SPOLETANI & viri magnifici RIMONIS Caſtaldi Civitatis REATINE menſe Aprilis per Indictionem I Ego PETRUS VENERABILIS EPISCOPUS una cum conſenſu Sacerdotum meorum cambiavimus Tibi PROBATE ABBAS vel cuncte congregationi Sancte Dei genitricis Marie aquam noſtram que eſt in Caſale noſtro MUTELLA de illa fonte unde recepimus in cambio qui ſupra PETRUS venerabilis una cum Sacerdotibus meis a vobis PROBATE ABBAS vel a Monachis tuis terram rationalem ſuper ipſam formam in Caſale MUTELLA modiorum decem cum arboribus qui in ipſa terra ſtare videntur quatenus ab hac die firmum & ſtabile ſit inter nos cambium noſtrum & neque a nobis neque ab ullo Succeſſore poſteroque noſtro aliquando contradicatur & quidquid de ipſa aqua*

Petrus Ughellio ignotus Epiſcopus Sabin. anno 778.

(1) In Oſtienſibus

(2) Conſule notam num. 1. ad Petrum in Oſtienſibus.

(3) Apud Gallettum lib. laud. pag. 39.

aqua facere volueritis in omnibus firmiſſimam habeatis poteſtatem Et que pars cambium iſtud moleſtare preſumpſerit componat alteri ſolidos centum Lucanos & carta iſta in ſua permaneat ſtabilitate & quod ſuperius minime fecimus ſi quoque tempore ipſa forma rupta fuerit vos habeatis licentiam per ipſam terram noſtram eandem formam reconciliare Actum in REATE menſe & indictione ſupraſcripta ✠ Ego PETRUS indignus Epiſcopus in hac carta cambiationis a me facta manus mea ✠ Ego HALO presbiter & vice dominus manus mea ✠ Ego SOLDULUS clericus manus mea ✠ EGO GUALDEPERTUS presbiter manus mea ✠ Ego LIUTPRANDUS Subdiaconus manus mea ✠ EGO ANSERAMUS clericus manus mea ✠ Ego GROSSIO Archiclericus manus mea ✠ Ego GUDEPERTUS notarius ſcriptor bujus carte complevi & dedi.

XVI. Petro huic Epiſcopo inter Reatinos, non inter Sabinenſes locum Gallettus dedit (1): fortaſſe, quia monumentum illud in Reatina urbe confectum vidit, & alia dum ſpectat, [quid enim ad ipſum de Gabiis in Sabinis agentem ſive Sabinenſium, ſive Reatinorum Epiſcoporum ſeries?] non cenſuit profundius examinandum. Ego vero impetrata a viro doctiſſimo, & amiciſſimo venia Sabinenſibus arbitror accenſendum, non Reatinis. Ad hos enim quod pertinet, *Petrum* eo anno, quo monumentum illud confectum fuit, ſcilicet 778. Aprili menſe in Reatina Cathedra ſedere minime potuiſſe ex ipſo Galletto rem cenſeo manifeſtum. Eo enim ipſo anno menſe Martio *Guicpertum* in Cathedra Reatina ſedentem invenio in monumento, quod ipſe Gallettus protulit (2). Datum enim eſt *regnante domno noſtro KAROLO* Non fuit Epiſcopus Reatinus.

(2) Lib., & pag. laud.
(1) Lib. laud. pag. 38.

ROLO excellentiſſimo rege FRANCORUM, atque LONGOBARDORUM anno regni ejus in ITALIA Deo propitio IIII. Datum juſſionis SPOLETI in palatio anno Ducatus noſtri [Hildeprandi] *V. menſe Martii per Indictionem I. ſub RIMONE Caſtaldio*. Concedit Hildeprandus in eo diplomate *m. beati Archangeli Michaelis , quod ſitum eſt foris ponte ſecus Civitatem noſtram REATINAM & tibi venerabili GUICPERTO EPISCOPO aquam de alveo fluvii MELLINI* [qui Velinus] *ubi Molinum debeat edificare* . Eumdem *Guicpertum* eamdem Cathedram adhuc implentem lego anno 780. menſe Julio in altero monumento per ipſum Gallettum producto (1). In eo enim *Regnante Domno noſtro KAROLO excellentiſſimo rege FRANCORUM atque LANGOBARDORUM anno Regni ejus in ITALIA Deo propitio VII. ſed & temporibus HILDEPRANDI glorioſiſſimi Ducis Ducatus SPOLETANI anno Ducatus ejus in Dei nomine VII. menſe Julio per Indictionem III.* anno ſcilicet 780. GUICPERTUS REATINUS EPISCOPUS Regis, & Ducis accedente conſenſu concedit Monaſterio *Farfenſi*, & ejus ABBATI PROBATO illud ipſum monaſterium Sancti Angeli , de quo ſupra , poſitum *inter duo flumina ad Pontem fractum ante Civitatem REATINAM una cum omnibus ejus bonis* . Itaque quum Reatinam Ecclesiam Guicpertus rexerit ab anno 778. Martio menſe ad annum 780. menſe Julio , non potuit eidem præfici *Petrus* eodem anno 778. menſe Aprili.

XVII. Eumdem vero *Petrum* fuiſſe Epiſcopum Sabinenſem ſive Foronovanum , ſic, ut poſſum, probandum aggredior . Quandoquidem *Petrus* aquam *in Caſale Mutella cum terra rationali in eodem Caſale* auſus non eſt commutare , niſi Sacerdotum ſuorum ac-

SedEpiſcopus Foronovanus ſive Sabinenſis.

ce-

(1) Lib. & pag. 60.

cedente conſenſu, infero, probabiliſſime Petrum fuiſſe ejus Diœceſis Epiſcopum, in qua & ea aqua & ea terra & illud *Caſale*, quæ juris Eccleſiæ ſuæ eſſe debebant, continebantur. Porro ea fuiſſe in Foronovana Diœceſi, ex alio monumento apud Gallettum facile colligo, ex iis ſcilicet publicis litteris, in quibus anno 1055. Albertus quidam Gebbonis Filius Berardo Abbati Farfenſi inter cetera eam quoque portionem donat, quæ ad ipſum in oppido *Pharæ* ſpectabat. Eam enim ita deſcribit. *Inter affines a primo latere fluvius CURRENSIS a II. latere CARPINIANUS & venit per ipſam ſerram de MUTELLA & deſcendit in fluvium RIIANAM a III. latere fluvius RIIANA a IIII. latere ipſa furca de Monte & ſicuti vadit juxta terram S. MARIÆ & revertitur in ſupraſcriptum fluvium CURRENSEM*. Ibi igitur eſſe debuit *Caſale Mutella*, ubi fluvius *Currenſis*, ubi *Carpinianus*, ubi fluvius *Riiana*, ubi *terra S. Mariæ*. Hæc autem ita videntur fuiſſe in Foronovana Diœceſi, ut eſſent Monaſterio Sanctæ Mariæ, ſive Farfenſi quam proxima (1).

XVIII. Duos ſub eodem nomine *Thodori* diſtinguit Ughellius Epiſcopos Sabinenſes ſibi proximè ſuccedentes numero in ſua ſerie 8., & 9., qui Petro ſuſſici potuerunt. De primo ad annum 804. nullum protulit documentum. Secundum aſſerit floruiſſe Ludovico, & Lothario imperatoribus ex Sublacenſi antiquiſſimo monumento, quod utinam recitaſſet; neque enim in vulgato Chronico legitur. Quandoquidem vero ii Imperatores fuerunt in imperio Collegæ ab anno 820. ad annum 839: & anno 826. Sabinenſem, ſive Foronovanam Cathedram jam occupabat *Samuel*, ut ex Concilio Romano ſub Eugenio II. (non Gregorius, ut male apud Ughellium), nemo non

Unus probabiliter *Theodorus* Epiſc. Sabin. non duplex Sæculo nono.

(1) Conſule cartam Topographicam a Galletto laudato libro præmiſſam.

non videt, nulla nos urgeri neceſſitate, ut duos ſub eodem nomine *Theodori* ſpatio non admodum multo, & quod magis eſt, ſine ullo monumento admittere debeamus. Ex quodam Innocentii Tertii judicio Lucentius colligit, hoc circiter tempore vixiſſe *Theodoſium* quemdam, ſive *Theodorum* Sabinenſem Epiſcopum, qui Templum Sancti Viti in Tancia cum Farfenſibus Monachis commutavit (1). *Theodum* eum Innocentius appellat: poſſetque pro Theodoro facile intelligi; ſed Gonzaleſius in eo nomine mendum ſubeſſe docet ex ipſo Ughellio: dictumque *Theodum*, qui dici debuerat *Domnizo*, ſeu potius *Regizo* (2). Eum ſcilicet ipſum, cui locum in hac ſerie dedit Ughellius num. 22. Is enim ille fuit Epiſcopus, a quo, Ughellio teſte, in Farfenſi Chronico legimus, factam anno 1073. eam ipſam cum iis Monachis commutationem (3).

XIX. Theodorum ſequitur *Sergius* ad annum 871. quo Romanæ Synodo interfuit ſub Adriano II. Eique a Lucentio ſufficitur *Leo* ad annum 879. Sed Epiſcopum hunc non *Sabinenſem* fuiſſe, ſed *Gabinenſem* teſtatur ejuſdem nomen, quod cum in Pontigonenſi Concilio anni 876. tum in Romano anni 879. de reſtituendo Photio ſic ſcriptum legitur a Baluzio (4). Fuit hic Joannis VIII. Nepos, a quo ad Carolum Imperatorem legatus eſt cum Petro Epiſcopo Foroſempronienſi. Qua de re agunt ejuſdem Pontificis litteræ anno 877. ad eum datæ (5).

Leo ann. 879. *Gabinenſis* non *Sabinenſis* Epiſcopus.

XX. Ad annum 900. Joannem quemdam ſtatuit in hac ſerie Dominicus Macrius: eumque eſſe conten-

(1) In notis ad Theodorum nota 1.
(2) In Cap. 6. de Exempt.
(3) Hic in Domniz. n. 22.
(4) Lab. Concil. tom. XI. pag. 290. edit. Ven.
(5) I. VI. VII. IX., & XIII.

tendit, cujus memoria emerſit ex demolitione vetuſtiſſimi altaris ruralis in Templo prope oppidum *Montisboni*, quod erat in Foronovana Diœceſi, cum ſigillo, & effigie in cera rubra figuræ oblongæ imaginem Epiſcopi induti ornamentis Pontificalibus exprimente, & inſcriptione gothicis caracteribus exarata = *Ego Joannes Epiſcopus Sedis Savinenſis condidi, & conſecravi*. Quos dicimus gothicos caracteres ſolum poſt decimum ſæculum ex communiori opinione invaluerunt. Hinc cum nullum in ea inſcriptione de Joannis ætate ſit argumentum, Joannem hunc cum aliquo ex iis arbitror confundendum, qui non pauci ejus nominis undecimo ſæculo, vel ſequentibus Foronovanæ Eccleſiæ præfuerunt.

Joannes ætate incerta Sabin. Epiſcopus probabiliter poſt ſæculum decimum.

XXI. Poſt Sergium, de quo ſupra, tertia ſe ſe offert implenda lacuna ab anno circiter 879. ad annum uſque 928., quo ex Regeſto Farfenſi Sedem hanc Gregorius implebat. Sed cum Sabinenſem Provinciam per id temporis miſſerrime ita devaſtatam a Saracenis legam, ut nobiliſſimum Farfenſe cœnobium in ſummam redactum fuerit ſolitudinem profugis Monachis cum Petro Abbate, *uſque dum finita perſecutione barbarorum, quæ per annos octo, & quinquaginta ſæviiſſe dicitur, inſtauratum eſt* (1): vereor, ne diſperſis ovibus nullus durante ea temporum iniquitate fuerit Paſtor.

Sæculo nono, & decimo ad plures annos nullus probabiliter Epiſcopus in Sabinis.

XXII. Gregorio *Joannem* hujus nominis ſecundum ſupponit Ughellius in ſua ſerie num. 14.: ejuſque Epiſcopatus initium ad annum ſtatuit 963. Ex Farfenſibus monumentis huic jam Eccleſiæ præfectum anno 948. Menſe Septembris eum Gallettus docet: viventemque adhuc oſtendit ex iiſdem monumentis anno 983. (2). Ughellius huic ſufficit *Benedictum*, & ex

Sæculo decimo inclinante qui Epiſcopi Sabinenſes, ſive Foronov. Quot ſub Joannis, & Benedicti nomine: Quando, & quamdiu ſederint.

(1) Conſule Mabill. tom. III. Annal. Bened. lib. XXXIX. num. XXXVIII.

(2) Lib. laud. pag. 16.

ex Regeſto Farfenſi ſediſſe eum docet in Cathedra Sabinenſi anno 997. Gallettus vero majori adhibita diligentia in eadem jam Sede locatum invenit anno 989. (1). Quin etiam monumentum producit, ex quo eumdem *Benedictum* Epiſcopum jam fuiſſe colligit anno 969. (2). Datum enim eſt *temporibus Domni OTTONIS a Deo coronati magni Imperatoris Auguſti & viri Ven. BENEDICTI EPISCOPI & GIRARDI Comitis de Territorio Sabinenſi Menſe Februario per Indictio: XII.* Hujuſmodi monumentum diu me multumque contorſit. Si enim Foronovanam Cathedram *Benedictus* implebat anno 969. (Nomentanæ enim per ea tempora videtur præfuiſſe Joannes): igitur *Joannes* ille, qui hanc regebat Eccleſiam anno 963., idem ille non fuit, qui anno 983. eamdem adminiſtrabat. Si *Joannes* anno 983. erat Eccleſiæ hujus Epiſcopus: igitur *Benedictus* ille, qui anno 969. huic Eccleſiæ jam præerat, alius fuit ab eo, qui erat huic eidem Eccleſiæ præfectus annis 979., & 997. Duos igitur haberemus in hac ſerie ſuperaddendos Epiſcopos ejuſdem nominis *Joannem*, & *Benedictum*. Quod cum mihi non admodum probabile videretur, in eam demum cognitionem veni, monumentum illud, neque ad annum 969., neque ad Othonis Primi tempora referendum, ſed ad annum 999. Othone tertio Imperatore. Gallettius ſcilicet, qui alia ſpectabat, quam ſeriem Epiſcoporum, de qua nulla tunc illi cura, occaſionem ſumere debuit, monumentum illud ad annum ſtatuendi 969. ex Indictione XII, quæ eo anno ſub Othone primo Imperatore currebat. Attamen præter quam quod eadem fuit Indictio anno etiam 999. imperante Othone tertio, tum me in mea opinione quam maxime confirmavit, quod obſervaverim in eo monu-

(1) Lib. laud. pag. 16.
(2) Lib. laud. pag. 114., & in append. num. XVI.

monumento, *Guidonem* fuiſſe *Notarium*. Viſum enim mihi eſt probabilitatis fines excedere *Guidonem* anno 969: imo a tempore Superiori in eo munere fuiſſe. Nam in aliis monumentis ab ipſo met Galletto productis animadverti *Guidonem Notarium* frequenter in eo ipſo munere commemoratum annis 1011: 1012: 1013: 1017: 1035. (1). Si igitur anno 969. ea fuiſſet lata, Guidone Notario ſcribente, ſententia, conſequens eſſet, ut ab eo anno: imo a tempore ſuperiori ad annum 1035., & alios fortaſſe ſequentes fuiſſet idem *Guido Notarius*. Quod, cum ſeptuaginta circiter annorum ſpatium includat, ægerrime fidem inveniet. Ex eo igitur monumento adhuc viventem cognoſcimus *Benedictum* anno 999. Menſe Februario, quod ex aliis Farfenſibus monumentis Gallettus ipſe fatetur (2): non anno 969.

Raynerius Benedicto quando ſuffectus, & quando obierit.

XXIII. Benedictum ex Ughellio ſanctus *Laurentius* excepit num. in ſua ſerie 16. Sed hunc diverſa ſaltem ætate ſtatuendum ſupra probavimus: confirmatque Gallettus, qui eo ipſo anno 999. ſuffectum probat ex iiſdem monumentis Benedicto *Raynerium* (3). Addit productam ab hoc Raynerio vitam in Sabinenſi Sede ad annum uſque 1011. menſe Novembris: illique ſuffectum fuiſſe eodem anno Joannem hujus nominis tertium. Et vero monumentum ab eo producitur, in quo Raynerius Octobri menſe ejus anni adhuc fuiſſe dicitur inter vivos. Datum enim *eſt temporibus D. SERGII SANCTISS. IIII. PAPÆ, & viri ven: RAYNERII EPISCOPI & CRESCENTII & OTTONIS inſimul Comitum Rectorumque Territorii Sabinenſis menſe Octobris per Indict. VIIII.* (4).

Joannes III. quando Raynerium exceperit.

D 2 Sed

(1) Conſule lib. laud. pag. 40.114.112.126.127.158.160.
(2) Lib. laud. pag. 7.
(3) Ibidem.
(4) Lib. laud. pag. 140.

Sed hic etiam occurrit , ex quo contorquear. Etenim in alio ſimili monumento per eumdem Gallettum producto Joannem animadverto menſe Julio ejuſdem anni 1011. in hac Cathedra jam ſedentem. Etenim datum *eſt temporibus Domni SERGII Summi Pontificis & univ. IIII. Papæ & Viri Ven. JOANNIS EPISCOPI & CRESCENTII & ODDONIS Nobilium virorum & inclitorum Comitum communiter territorii Sabinenſis menſe Julii Indict. VIIII.* (1). Si menſe Octobris anni 1011. adhuc erat in Sabinenſi Sede *Raynerius* : quomodo in eadem Sede eodem anno menſe Julio *Joannes*? Suſpicatus fueram, alterum fuiſſe Epiſcopum Nomentanum, Foronovanum alterum. Sed cum eæ publicæ litteræ fuerint in Monaſterio Farſenſi confectæ : Epiſcopi vero illi in iis fuerint nominati, non quod eæ ad ipſos ullo modo ſpectarent, ſed unice ad diſtinguendam, confirmandamque temporis epocam, ejus Diœceſis ambo illi Epiſcopi eſſe debuerunt, in qua fuerat Monaſterium Farſenſe fundatum: proindeque Foronovanæ. Fateor igitur nodum hunc me aliter nec ſolvere poſſe, nec ſcire, quam ſi dicam, in Indictione alterutrius monumenti ſcribenda erratum fuiſſe a *Guidone* Notario, poſitamque vel Indictionem nonam pro octava in primo, vel nonam pro decima in ſecundo, ita ut vel annus 1010. ſignetur in primo, vel in ſecundo 1012., quod frequens fuiſſe Muratorius non uno in loco confirmat. Arbitror tamen mendum in primo potius eſſe, quam in ſecundo. Etenim, præterquamquod facilius potuit errare Notarius ponendo Indictionem VIIII. pro VIII., quam VIIII. pro X., illud præterea certum eſt, anno 1010. Sergium Summum Pontificem in iis litteris memoratum adhuc fuiſſe viven-

(1) Lib. laud. pag. 158.

ventem: fuiſſe vero anno 1012. menſe Julio, plerique diſſentiunt. Et revera die vigeſima ſecunda proximi menſis Augusti ejuſdem anni jam ſedentem habemus in Petri Cathedra *Benedictum* VIII. ex monumento Farſenſi apud Muratorium (1).

XXIV. Mabillonius, & ex Mabillonio Coletus Benedicti VIII. temporibus, qui præfuit Eccleſiæ Dei ab anno 1012. ad annum 1024., Epiſcopum quemdam *Dodonem* nomine interſerendum cenſent ex Cartario Farfenſi, in quo ſic legitur. *DODO Epiſcopus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ dedit libras quinque pro rebus poſt mortem, ideſt Eccleſiam Sanctæ Mariæ cum CASAMENTO IPSO CASSIANO. Actum menſe Octobris temporibus BENEDICTI VIII.* (2). Etenim animadvertit eam donationem factam fuiſſe Farſenſibus Monachis *in Sabinenſi Diœceſi*. Ideo vero dictum eumdem putat *Epiſcopum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*; quia ſic dicebantur ii Cardinales Epiſcopi [inter quos Sabinenſis], *qui per hebdomadarum vices Pontificium munus explebant in Baſilica Lateranenſi*, ut alibi & nos obſervavimus. Ego vero *Dodonem* hunc non Sabinenſem, ſed Narnienſem fuiſſe Epiſcopum ſuſpicor. Sabinenſem non fuiſſe, ex eo ſit manifeſtum, quod Foronovanam, ſeu Sabinenſem Eccleſiam tunc *Joannes* adminiſtrabat, qui ab anno 1010., vel 1011. ad annum 1044. & ſequentes, ut videbimus, in ea fuit Epiſcopus. Fuiſſe ad annum ſaltem 1024. adeo verum eſt, ut in Farfenſi eodem Chronico monumenta non deſint, in quibus annis 1011., 1012., 1013., 1018., & anno ipſo 1024., qui Benedicti VIII. poſtremus fuit, menſe proxime Superiori *Joannes* Epiſcopus adhuc commemoretur. Tale illud eſt, quod

Dodo non fuit Epiſcopus Sabinenſis tempore Benedicti VIII., ſed probabiliter Epiſcopus Narnienſis.

(1) In Annal. Ital. ad annum 1012.
(2) Muſ. Ital. tom. 1. pag. 145.

Digitized by Google

quod producitur a Galletto (1). Datum enim eſt *temporibus D. BENEDICTI Summi Pont.*, *&* *univ. VIII. Papæ & viri ven. JOHANNIS EPISCOPI* & *ODDONIS* & *GREGORII nobilium virorum & inſimul Comitum territorii Sabinenſis* menſe *SEPTEMBRIS Indictione VII.* Animadverto præterea non ſolum in ſede Narnienſi fuiſſe Epiſcopum iis temporibus *Dodonem* nomine (2); Sed Farfenſibus Monachis addictiſſimum. Etenim *BENEDICTI PONTIFICIS IX. anno IV Imperii CHUONRADI X. Menſe Auguſto die* 18., *anno ſcilicet* 1036., *VITALI Abbati contulit Monaſterium Sancti Nicolai ſitum in loco, qui vocatur ficus nigra ad S. Geminum* [in Diœceſi Narnienſi], *Farfenſi*, ut Mabillonius cenſet, *Monaſterio ſubjectum, ut ſemper ſub regula, & ordine Monaſteriali permaneret* (3). Eodemque anno indulgente probabiliter ipſo *DODONE Monaſterium, quod PETRUS Abbas a tempore OTHONIS III.*, & *GREGORII V. apud TATZANUM* [pariter in Diœceſi Narnienſi] *extruxerat, Farfenſi Cœnobio addictum eſt* (4). Ad *CASAMENTUM CASSIANUM* quod pertinet ab Epiſcopo Dodone donatum, etiam num prope Narniam trans Narem & celeberrimi pontis ab Auguſto ædificati veſtigia in edito quodam colle antiqui viſuntur Monaſterii, ſeu *Monaſticæ Cellæ* veſtigia cum Templo in honorem *Sancti Caſſiani*, a quo Caſamentum illud dici ex more probabiliter potuit *Caſſianum*. Miror a Mabillonio nullam factam fuiſſe de hoc Monaſterio mentionem, quod Abba-

(1) Lib. laud. pag. 161. Conſule præterea pag. 121. 127. 160. 141.
(2) Conſule Ughel. in Narn. in ejus ſerie num. 20. Tom. 1. Ital. Sac.
(3) Mabil. in annal. Bened. tom. IV. lib. LVII. num. XCI.
(4) Ibidem.

Abbatiæ titulo inſigne juris nunc eſt *EMINENTISSIMI D. CAROLI MARIÆ SACRIPANTES EPISCOPI TUSCULANI*. Neque mihi negotium faceſſit, eam donationem factam fuiſſe Farfenſibus Monachis *in Sabinenſi Diæceſi*: aut *Dodonem* dictum *Epiſcopum Sanctæ Eccleſiæ Romanæ*. Ad primum enim quod attinet, adeo novum non eſt, ſeu Monaſterium Farfenſe, ſeu quodlibet aliud ab Epiſcopis aliiſque fuiſſe donatum extra Diœceſim, ut inter frequentiſſima exempla illud etiam ſit *JOANNIS Narnienſis Epiſcopi Sanctæ Sedis Bibliothecarii, qui anno 962. Auguſti die octava SANCTO BENEDICTO Confeſſori Chriſti SUBLACENSI duas petias terræ vineæ cum arboribus & pertinentiis ſuis poſitis in via Appia LI. Mil. Romæ in fundo Nebulæ MAROTIÆ excellentiſſimæ fœminæ, & Senatriciſ. obtulerit* (1). Ad ſecundum adnumeratos aliquando inter ſeptem eos, qui Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi dicebantur etiam Labicanenſem, Tiburtinum, Nepeſinum, Sutrinum, Hortanum, aliosque Joſephus Maria Suareſius Epiſcopus Vaſſionenſis & affirmat, & probat, ut alibi obſervavimus (2). Cur non potuit ad id muneris elevari etiam *Dodo* Narnienſis? Vivebat iiſdem temporibus etiam *Dodo Epiſcopus Nucerinus*, de quo frequens eſt mentio in Chronico Caſaurienſi. Ego vero in opinione de Dodone Narnienſi magis magiſque confirmor, quod animadvertam, Narnienſes alios Epiſcopos, qui ſequuti eodem ſæculo Dodonem ſunt, idem Monaſterium Sancti Caſſiani Abbatiali auctoritate adminiſtraſſe, iiſque rem fuiſſe cum Monaſterio Farfenſi, ut de *Rodulpho* legimus, qui, quum Abbas eſſet ejuſdem Monaſterii Sancti Caſ-

ſiani

(1) Ex Murat. Antiquit. Ital. tom. V. pag. 324. diſ. 73.

(2) Praeneſt. antiq lib 2. pag 190. Conſule etiam Card. Brancat. de Opi. ſex Ep. & Panvin. de Epiſ. tit., & Diac. Card.

ſiani anno circiter 1090., iis omnibus bonis ceſſit, de quibus Farſenſibus Monachis litem intenderat (1).

Ab anno 1010., vel 1011. ad annum circiter 1061. duplex fuit, non triplex ſub eodem Joannis nomine Epiſcopus.

XXV. Quemadmodum igitur ſuffectus fuit Raynerio Joannes anno circiter 1011., ita Joannem hunc Joannes alter excepit, quem ex Ughellio ſequutus eſt Tertius ejuſdem nominis; ita ut tres ex Ughellio ejuſdem Joannis nomine Epiſcopi Sabinenſes proxime ſibi ſucceſſerint: ex quibus primum illum de quo ſupra, alium facit ab eo, qui anno 1044. Petri Cathedram intruſus Silveſtri III. nomine aſcendit. Quemadmodum & hunc ipſum, qui Pſeudopontifex fuit, a Tertio diſtinguit, qui inter Cardinales, ut inquit, adſcitus a Leone IX. Summo Pontifice maximam Farſenſibus Monachis moleſtiam creavit pro Eccleſia præcipue Sancti Angeli in Tancia, & ſub Alexandro II. exemptus fuit a vivis. Utinam hæc monumento aliquo certo ſtatuiſſet Ughellius. Mihi vero duo ſolum fuiſſe videntur: ex quibus qui Pſeudopontifex fuit, ab anno 1010., vel 1011. ad annum 1051., aliumque fortaſſe, vel alterum vitam in Epiſcopatu protraxerit: Qui vero ipſum ſequutus eſt, Ubaldo primo præiverit: Eum autem, qui Farſenſibus fuit infeſtus, non hunc poſtremum cenſeo cum Ughellio, ſed Superiorem. Hæc colligere videor ex monumento per Ughellium ex codice Vaticano deſumpto (2), quod Mabillonius compendioſe ſic recitat (3). *Inter alia ejus facta* [Berardi Abbatis Farſenſis] *magnam contentionem habuit cum JOANNE EPISCOPO SABINENSI maxime pro Eccleſia Sancti Angeli in Tancia, quam olim Dux Hildebrandus Pontificatu Hadria-*

(1) Conſule Chron. Farſ. ex codice Pariſ. apud Murat. tom. II. part. II. Rerum Ital. ſcript.
(2) In Sabin. ad Joan. num. in ſua ſerie 20.
(3) Tom. IV. Annal. lib. LIX. num. LXVIII. ad annum 1048.

driani I. Farfenſi Monaſterio contulerat. Quam donationem Stephanus IV., nec non Carolus, Ludovicus, & Lotharius Imperatores coſirmaverant. Hujus rei penitus inſcius Hugo Abbas, utpote homo extraneus, & alienigena quamdam convenientiam fecerat cum Sabinenſi Epiſcopo [eodem met Joanne, ut in autographo habetur], *qui eam a Berardo Abbate reſcindi non paſſus armata manu ad locum venit, Aram evertit, ac Reliquias abſtulit. Verum in reditu orta repentina aquæ grandinis & fulguris procella tanto pavore correptus fuit, ut pœne animam egerit. Quod ubi reſcivit Berardus Abbas aſſumpto ſecum ultramontano Epiſcopo, qui apud ſe hoſpitabatur, ad prædictam Eccleſiam pergit: reſtituit aram, aliaſque in ea Reliquias recondidit: Epiſcopus vero ipſa nocte morbo percuſſus facti pœnitens ablatas eidem loco Reliquias reſtituit*. Ex hoc monumento duplicem ſolum fuiſſe ſub uno Joannis nomine Epiſcopum ita colligo. Quandoquidem Berardus Abbas, cui cum Epiſcopo Joanne res fuit, Farfenſe Sacerdotium obtinuit anno 1048. (1): & Joannes Epiſcopus is idem fuit, qui anno 1051. de hac re in Synodo Romana adverſus Monachos proclamavit (2): nolenſque effecit, ut Monachorum jura a Leone IX. Summo Pontifice confirmarentur, dato diplomate xi. Kal. Decembris anno ejus tertio, ſive ut Mabillonio videtur, quarto Indictione V., conſequens eſt, ut Joannes Epiſcopus ad ea uſque tempora vixerit. Vixiſſe autem eumdem ab anno uſque 1010., vel 1011., ex eo tempore videtur inferri, quo *inique*, ut habetur in autographo, cum Hugone Abbate convenit de eo Templo Sancti Angeli in Tancia. Itaque animadvertens eo tem-

 pore

(1) Mabill. Annal. tom. IV. lib. LIX. num. XLVII. ad annum 1048.

(2) Mabillonius ibid. lib. LX. num. II. ad annum 1051.

pore conveniſſe, quo Hugo Abbas, *utpote homo extraneus, & alienigena* Monaſterii res nondum bene cognoverat, infero primo, & quidem certo, Joannem hunc eum ipſum eſſe, quem anno 1044. Populus Romanus ejecto Benedicto IX. in Petri ſede ſuppoſuit (1): Etenim cum Hugo Abbas vitam cum morte mutaverit anno 1038 (2), illud ſequitur neceſſario, quod, ſi unus & idem ille Joannes Sabinenſis Epiſcopus fuit, qui cum Hugone inique convenit ante annum 1038., & cum Berardo quæſtionem habuit poſt annum 1048., Eccleſiæ Sabinenſi præeſſet anno 1044., quo Pſeudopontifex factus eſt. Infero ſecundo, convenire Joannem cum Hugone debuiſſe poſt ſecundam Hugonis ejuſdem *Ordinationem* anno 1014. *Varia enim fuit*, ut inquit Mabillonius (3), *Hugonis hujus fortuna, qui anno duodemilleſimo primum vitio ordinatus poſt annos undecim ſponte Præfecturam abdicavit, & Guidoni Nepoti ſuo locum fecit, tum poſt annos quinque iterum ordinatus poſt annos tredecim denuo Abbatiam Guidoni ceſſit, nono poſt anno tertium ordinatus anno ſcilicet* 1036. *ad tres annos ſuperſtes*. Ad ſic opinandum inclinor, quia Hugone primum Abbate ab anno 998. ad annum 1009. fuit, ut vidimus, in Sabinenſi Sede Raynerius, ideoque Joannes tunc convenire cum Abbate Hugone non potuit. Sed neque cum eodem tertium Abbate ab anno 1036. ad annum 1038.; eo ſcilicet tempore rerum omnium Monaſterii Hugo ſic peritus evaſerat, & in iiſdem conſervandis augendiſque ſic fuit diligens, & accuratus, ut inter paucos ejus Monaſterii Abbates enumeretur, qui curam diligentiorem in eo augendo,

(1) Baron. ad annum 1044.

(2) Mabill. ex Chronog. tom. IV. Annal. lib. LVI. num. XXIX.

(3) Ibid.

Digitized by Google

do, conſervandoque adhibuerint (1). Remanet igitur, ut Hugo cum Joanne de eo Templo convenerit, quum ſecundo ordinatus Farfenſe Monaſterium annis tredecim adminiſtravit ab anno 1014. ad annum 1027. & primis præſertim Ordinationis hujus ſecundæ annis, quibus probabile eſt de rebus Monaſterii pluribus nondum tantam illam cognitionem habuiſſe, quam uſu ſibi poſtea comparavit. Annis igitur circiter quadraginta Joannes hic Sabinenſem Eccleſiam adminiſtravit. Quod quidem temporis ſpatium adeo non eſt improbabile, ut non defuerint, nec deſint plures, qui in Epiſcopatu eam ætatem exceſſerint. Mihi certe, niſi Monumentum aliquod propoſitum fuerit, quo eo ſpatio duos fuiſſe Epiſcopos ejuſdem nominis evincatur, vim nullam hujuſmodi improbabilitas facit. Ejuſdem opinionis eſt Papebrochius (2), qui loquens de eo Joanne Epiſcopo Sabinenſi, a quo Sacræ Sanctorum Reliquiæ ablatæ fuerant Ara deſtructa, & coram Leone IX. contra Farfenſem Abbatem in Synodo proclamatum, ita ad rem noſtram argumentatur. *Exiſtimat quidem Ughellus, hunc Joannem a Leone IX. ſuffectum ipſi quondam SILVESTRO, ab eoque diverſum eſſe: ſed qui ab OLIM prædictam fecerat conventionem in favorem Eccleſiæ Sabinenſis, utique ejus jam Epiſcopus erat etiam ab OLIM, quod longius omnino tempus ſignificat.*

XXVI. Quoniam vero hic ille Joannes fuit, quem, ut diximus, anno 1044. deturbato Benedicto IX. in Apoſtolicam Sedem Populus Romanus intruſit, prætereundum non eſt, quamdiu conſederit, & quando Cathedram repetiverit iterum peculiaris Epiſcopus Sabinenſem. In ea ſiquidem ſub III. Silveſtri nomi- *Joannes* **Sabinenſ. Epiſc. quamdiu Pſeudo Summus Pont.**

E 2 ne ſe-

(1) Mabil. tom. IV. Annal. lib. LI. num. LXXI.

(2) In Conatu Chron. Hiſt. ad Catal. Pontif. in Silveſtro III. Antipapa.

ne ſediſſe menſem unum, & dies viginti novem tradit Ughellius, addens, iis præteritis anathemate a Benedicto percuſſum regendam Sabinenſem Eccleſiam iterum accepiſſe. Rem aliter narrant Leo Oſtienſis, Victor III., Clemens II. Pontifices ejuſdem ætatis, & ſæculi, & Bonizo qui tunc Sutrinam Eccleſiam adminiſtrabat (1). His habenda ſi fides, tribus menſibus fuit habitus verus Pontifex a Romanis: Neque ideo, quod ejectus, a Pontificatu receſſit; ſed ſchiſma una cum Gregorio VI., & Benedicto eodem IX. ad annum protraxit 1046., quo una cum aliis deturbatus fuit a Sede auctoritate Sutrini Concilii. Et vero non uſque animo concidiſſe Joannem ſive ex violento Benedicti regreſſu, ſive ex Gregorii VI. ordinatione, ut ſupremæ dignitati abrenunciaverit, ea confirmant notiſſima carmina, quæ a quodam Eremita accepiſſe dicitur Henricus Rex, quum anno 1046. menſe Decembris in Italiam venit de tribus Pontificibus Eccleſiam eo tempore lacerantibus deliberaturus (2).

Una Sunamitis nupſit tribus maritis:
Rex Henrice Omnipotentis vice
Solve connubium triforme dubium.

Fortaſſe Joannes Pontificalibus ornamentis in eo Concilio ultro depoſitis meruit, ut Sabinenſi reſtitueretur Eccleſiæ. Sed de eo jam ſatis multa: progrediendum ad alios eſt.

Ubaldus I. Joanni IV. quando ſuffectus, quando mortuus.

XXVII. Joanni in hac ſerie hujus nominis tertio, de quo hactenus, ordine ſucceſſerunt Joannes hujus nominis quartus, & Ubaldus in hac ſerie primus. De Joanne IV. frequens eſt in Regeſto Farfenſi commemoratio ad annum uſque 1061.: Nec multo poſt

(1) Conſule Pagium ad annum 1044., & 1046. apud quem omnes invenies.
(2) Conſule Murat. in Annal. Ital. ad annum 1046.

to poſt creditur obiiſſe, quum anno 1067. jam illi a tempore ſuperiori ſuffectus legitur Ubaldus, ut ex Ughellio. Lucentio, Coletoque ſi credimus, anno 1066. Alexandrino diplomati pro Monaſterio Sandioniſiano ſubſcripſit Ubaldus. Sed ſupra innuimus, de eo diplomate quid ſentiamus. Obire Ubaldus debuit anno circiter 1072. Anno enim 1071. [non 1072. ut male apud Ughellium] Kalendis Octobris Alexandro II. Templum Caſinenſe conſecranti adfuiſſe cum pluribus aliis legimus, delectumque, a quo Ara Sancti Gregorii in eodem Templo conſecraretur (1). Anno vero 1073. Menſe Sextili huic Eccleſiæ jam præerat *Regizo*, quem Mabillonius neſcio quo fundamento *Teuzonem* appellat, ut ex monumento apud Ughellium.

XXVIII. De Epiſcopis, qui ſequuti Ubaldum, ſunt, Ughellius, Lucentius, Muratorius inter ſe quam maxime diſſident. Ughellius Ubaldo ſubjicit *Domnizonem*, quem unum eumdemque facit cum *Regizone* in Farfenſi Chronico ad annum 1073. commemoratum. Domnizoni, ſeu Regizoni *Gregorium* ſufficit, quem affirmat ex Lamberto Schafnaburgenſi a Gregorio VII. in Germaniam legatum anno 1078., ut ad ſaniora conſilia revocaret Henricum Imperatorem. Gregorio vero ſupponit *Ubaldum* hujus nominis in ſerie ſecundum. Lucentius aſſentitur Ughellio cum de Domnizone, ſeu Regizone Ubaldo primo ſuffecto, tum de Gregorio Domnizoni, ſeu Regizoni ſuppoſito. In eo autem ab eo recedit, quod Gregorio Domnizonem alterum diverſum a primo ſubjiciat, qui proxime Ubaldo ſecundo præiverit. Etenim ex Actis Sancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi Domni-

Quot, & qui ab Ubaldo I. ad Ubaldum II. fuerint Epiſcopi Sabinenſes.

Ex Ughellio

Ex Lucentio.

(1) Mabil. in annal. ad hunc annum. Tom. IV. lib. LXIII. num. LXXVIII.

Digitized by Google

Domnizonem Epiſcopum Sabinenſem adfuiſſe contendit anno 1086. celeberrimo ejuſdem funeri, quod decimo quinto Kal. Aprilis illius anni celebratum eſt Mantuæ (1). Muratorius commemoratum in Farfenſi Chronico legens ad annum 1073. Regizonem: eumdemque ad annum iterum 1089., quo, defuncto Berardo Abbate Farfenſi, ſe in ejus locum intrudere conabatur per Monaſterii Primores (2): Animadvertens præterea anno 1078. ſedentem in Cathedra Sabinenſi Gregorium ex adducta Lamberti auctoritate, ne duos cogeretur admittere Regizones, quorum alter Sabinenſem Eccleſiam regeret anno 1073. ante Gregorium, alter anno 1089. Gregorio ipſi ſuffectus, opinatus eſt, Regizonem, propterea quod peſſime apud omnes audiret, ut in eodem Chronico legimus, ante eum annum ejici de ſede fortaſſe debuiſſe, eamque Gregorio probabiliter cedere. Quando igitur Regizo anno 1089. Farfenſi Abbatiæ operam dabat, jam fuerat ex Muratorio, non erat amplius Sabinenſis Antiſtes (3). Itaque ex Ughellio hi Epiſcopi hoc ſibi ordine ſucceſſerunt: Ubaldus hujus nominis *primus*: *Domnizo*, ſive *Regizo*: *Gregorius*: *Ubaldus* hujus nominis *ſecundus*. Ex Lucentio, *Ubaldus I.*: *Domnizo I.*, qui & *Regizo*: *Gregorius*: *Domnizo II.*: *Ubaldus II.* Ex Muratorio: *Ubaldus I.*: *Regizo*: *Gregorius*: *Ubaldus II.*

Ex Muratorio.

XXIX. Ego aliter ab omnibus ſentio, & explosis a ſerie tam Gregorio, quam Domnizone unicum ſtatuo *Regizonem*, qui ab anno 1072., vel 1073. Eccleſiæ

Inter Ubaldum I., & II.

(1) In Sabin. ad hunc.

(2) De hoc Regizone conſule Mabil. tom. V. Annal. lib. LXVII. num. LXXXVII. ubi eum *Teazonem* vocat contra fidem Farfenſis Chron.

(3) Conſule Murat. in notis ad Chron. Farfen. tom. II. par. II. Rerum Ital.

Digitized by Google

cleſiæ Sabinenſi præfuerit ad annum circiter 1090., fueritque inter primum, & ſecundum Ubaldum proxime medius. Ad *Gregorium* enim quod pertinet, fatetur Ughellius, ſe illum a Lamberto Scafnaburgenſi accepiſſe. Lambertus vero nullibi eum *Sabinenſem* dicit *Epiſcopum*, *ſed unum ex Cardinalibus Epiſcopis Romanæ Eccleſiæ GREGORIUM nomine* (1). In quo tamen ipſo eum arbitror eſſe deceptum; Paulus enim Bernfriedenſis ſcriptor magnæ apud Omnes auctoritatis, quem Pagius & Baronius ſequuntur in Actis Summorum Pontificum ejus temporis deſcribendis, non eum dicit *Epiſcopum*, ſed *Diaconum* Cardinalem (2): & Diaconum fuiſſe ex eo etiam probabiliter licet arguere, quod in Regeſto ejuſdem Pontificis nullam inveniam de *Gregorio Epiſcopo* Cardinali mentionem factam [quidquid afferat in oppoſitum Pagius ex Ciacconio (3)]: Inveniam vero plurıes commemoratum *Gregorium Diaconum Cardinalem* (4): & quod magis eſt, legam Gregorium hunc ipſum Diaconum eo ipſo anno 1077. quinto Idus Junias ab eodem Summo Pontifice Legatum Venetias, ut Dominicum Silvium Ducem, Populumque Venetiæ Anathemate, quo fuerant innodati, poſt præſtitam ſatisfactionem abſolveret (5). Videtur ſcilicet ſatis eſſe probabile, Gregorium hunc Diaconum Cardinalem poſt peractum Menſe Martio inutiliter legationem ad Regem Henricum, ejuſque ad Pontificem reditum rebus infectis ex Henrici iniquitate (6), deſtinatum paulo poſt fuiſſe cum Legati auctoritate Vene-

unicus fuit Epiſc. Sabin. *Regizo*.

Gregorius non fuit Epiſcopus Sabinenſis.

(1) In Chron.
(2) In vita Greg. VII.
(3) Tom. IV. ad annum 1080. num. III.
(4) Epiſt. 25., & 27. Lib. IV.
(5) Ibidem
(6) Ex Paulo Bernfriedenſi Ibid.

netias. Itaque cum ex una parte *Regizonem* legamus in Chronico Farfenſi denominatum *Epiſcopum Sabinenſem* tam pro anno 1073., quam 1089.: Ex alia tam multa faciant contra Sabinenſem Gregorii Pontificatum: & Lambertus ipſe Schafnaburgenſis Epiſcopum quidem eum dicat, ſed non Sabinenſem: nemo non videt, ſine ſolidiori fundamento locum illi concedi in hac ſerie nec debere, nec poſſe. Venio nunc ad *Domnizonem*.

Domnizo non fuit Epiſcopus Sabinenſis.

XXX. Epiſcopum hunc a Baronio accepit cum Ughellio Lucentius; Baronius vero ex vita MS. Sancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi *per B. ejus diſcipulum*, *& Pœnitentiarium* ſcripta, cujus habere debuit exemplar parum fideliter exaratum. Quum enim in ea inter alia narretur, *Sanctum Anſelmum proximum morti rogaſſe*, *quatenus in Capitulo Monaſterii S. Benedicti*, *quod eſt in ripa fluminis Eridani ſub obedientia S. Cluniacenſis Cœnobii*, *unde Frater ipſe*, *ac Monachus fuit*, *ſepulturæ commendaretur*, proxime ſubditur. *Cum concedentibus Epiſcopo*] Mantuano], *atque Comitiſſa Mathilda cæteriſque omnibus*, *jam deferretur ad Monaſterium corpus*, *affuit ſubito* SUTRIENSIS EPISCOPUS NOMINE BONIZO, *quem Spiritus Sanctus ſuſcitavit*, *ut clamaret*, *dignum eſſe*, *ut in Epiſcopio Epiſcopus ſepeliretur*. Baronius hunc locum refert, ſed depravatum. Loco enim *Sutrienſis Epiſcopus nomine Bonizo*, mendoſe habet: *Sabinenſis Epiſcopus Dominus Domnizo*. Is error, ut ſupra diximus, non Baronio, ſed exemplari, quo uſus eſt, attribuendus, quemadmodum egregie Pagius animadvertit (1). Vita enim *Sancti Anſelmi* Lucenſis aliquot poſt Baronii obitum annis a Sebaſtiano Tengnagelio Cæſaræ Bibliothecæ Præfecto *in*

(1) Tom. IV. Crit. ad annum 1086. num. III.

In Syntagmate veterum Monumentorum pro Gregorio VII. anno 1612. *Ingolſtadii edita primum fuit*, in eaque *Sutrienſis Bonizo*, non *Sabinenſis Domnizo* legitur (1).

XXXI. Si Dominico Georgio habenda ſit fides, addendus eſſet poſt Regizonem in hac ſerie *Willelmus*, quem, ipſo teſte (2) vetus prodit inſcriptio Romæ in Templo Sanctæ Mariæ, quod olim dicebatur *ad Pineam*, nunc vero *in Capella* a Willelmo, ut inquit, *Sabinenſi* una cum Joanne Epiſcopo Tuſculano dedicato anno 1090., Urbano II. Summo Pontifice. Sed Scriptoribus parum diligentibus uſus Georgius eſt. Quum enim eam inſcriptionem oculis ipſe meis inſpexerim, nuſquam *Willelmum* aut reperi, aut legi, ſed cum initiali ſolum littera *V Sabinenſem*, qui facile *Ubaldus* hujus nominis II. fuit, quem anno circiter 1089. ab Urbano II. Sabinenſi Eccleſiæ præfectum ſcripſit Ughellius, & plura apud ipſum monumenta teſtantur. Eam inſcriptionem Lectorum oculis cenſeo ſupponendam = *Anno Domini MXC. Indict. XIII. Menſe Mart. die XXV. dedicata eſt hæc Eccleſia Sanctæ Mariæ, quæ appellatur ad Pineam per Epiſcopos urbis, ideſt V Sabinenſem, & Johannem Tuſcolanenſem tempore Domni Urbani II. Papæ, in qua ſunt Reliquiæ ex veſtimentis Sanctæ Mariæ Virginis, rel. Petri Apoſtoli, Cornelii PP. Caliſti PP. Felicis PP. Typoliti Mart. Anaſtaſii Mart. Melix, Marmeniæ Mart: Da Damaſo vitam poſt mortem Chriſte Redemptor.*

Willelmus non fuit Epiſcopus Sabinen. anno 1090.

XXXII. Præter jam memoratos a Sabinenſium Epiſcoporum ſerie delendum pariter arbitror poſterioribus ſæculis *Petrum de mortuo mari Gallum* ab Ughellio poſitum n. 48., lucem mihi præferente *V. Cl.*

(1) Vide eamdem vitam apud Mabill. in actis SS. Benedict. tom. IX. pag. 471.

(2) De Liturg. Rom. Pont. diſert. I. num. III.

Petrus Card. de mortuo mari non fuit Epiſc. Sabinen. ſæculo decimo quarto.

V. Cl. Conſtantino Rugerio olim Ottobonianæ, nunc Imperiali Bibliothecæ Præfecto in eruditiſſima diſquiſitione *de Arnaldo de Faugeriis*, *Petro Gomeſii de Baroſſo*, *Beltrando de Deucio Epiſcopis Sabinenſibus & S. R. E. Cardinalibus*. In ea præter multa Eccleſiam infimi ævi diſciplinam illuſtrantia occaſione Synodicarum Conſtitutionum ab iis Epiſcopis editarum, & ex codice Ottoboniano a ſe depromptarum, eorumdemque hiſtoriam Chronologica ſerie digeſtam, *Petrum de mortuo mari* expungendum erudite ſic probat = *Ughellius* poſt *Matthæum Petrum de mortuo mari Gallum Epiſcopum Autiſſiodorenſem Sabinenſium Epiſcoporum catalogo hæſitans inſeruit, quod etiam ante ipſum fecere Ciacconius, Frizonius, Panvinius, aliique. Verum re ſerius perpenſa, ut animadvertit Baluzius, hic Petrus ex Sabinenſium Epiſcoporum Cathalogo expungendus videtur. Certiſſimum enim eſt Guillelmum Petri de Godino electum Epiſcopum Sabinenſem anno 1317., & ſediſſe uſque ad annum 1336., quod conſtat ex libro obligationum apud Contelorium, cujus libri auctoritas magni facienda eſt, utpote qui publica auctoritate iiſdem temporibus conſcriptus fuerit. Hoc poſito Epiſcopus Autiſſiodorenſis obiit anno Domini 1336. in die Veneris Sancta hora nona decimo quarto Menſis Aprilis, ut habetur in ejus Epitaphio apud Sammarthanos. Si igitur Petrus de mortuo mari ex hac vita exceſſit anno 1335., nemo non videt, ipſum Epiſcopatum Sabinenſem obtinere non potuiſſe dicto anno, cum Frater Guillelmus Petri de Godino Epiſcopus Sabinenſis, ut diximus, ad ſuperos evolaverit anno 1336. die 4. Junii. Nec obſtat, quod Anonymus Geſtorum Antiſtitum Autiſſiodorenſium* (1) *ſcriptor*

(1) Labbe Bibl. MSſ. Tom. I. pag. 510.

ptor aſſerat, Petrum obdormiſſe in Domino circa annum 1336.; *Nam ibi* circa *nil aliud denotat, quam ejus mortem prope annum* 1336. *contigiſſe, videlicet ſub finem anni præcedentis: quod veriſſime dici non poteſt: Cum mortuus ſit* 14. *Menſis Aprilis; Sed forſan Anonymus, cum hæc diu poſt mortem Petri ſcripſerit, memoria labi potuit. Demum ſi Petrus Sabinenſi præfuiſſet Eccleſiæ, hoc certe non reticuiſſet illius Epitaphii Auctor, qui eum vocat Presbyterum Cardinalem Sancti Stephani in Cœlio Monte, ut ſupra laudatus Anonymus, qui omnes ejus dignitates diligentiſſime recenſet, ac præſertim illius Epiſcopatus, Vivarenſem ſcilicet, ac Autiſſiodorenſem. Nec veriſimile mihi videtur, eumdem data opera, vel oſcitanter Sabinenſem Petri Epiſcopatum omiſiſſe. Quid plura? Ipſemet Sanctus Pontifex Clemens VI.* (2), *qui Petri teſtamentum apoſtolicis litteris confirmavit, eumdem jam defunctum ſolo Prebyteri Cardinalis Sancti Stephani in Monte Cœlio titulo inſignivit. Quamobrem nullum ſupereſt dubium, quin cum Sammartanis Fratribus, ac Baluzio Petrus de mortuo mari ex Sacris Sabinenſis Eccleſiæ dipticis ſit delendus. Verus igitur Fratris Matthæi Urſini Succeſſor in Sabinenſi Eccleſia fuit Petrus Gomeſii de Barroſſo Hiſpanus Conſtitutionum Synodicarum auctor, quæ ſecundo loco in Codice Ottoboniano occurrunt: Vir pro ſæculi ſui more apprime doctus, qui a Joanne XXII. inter Presbyteros Cardinales cooptatus eſt titulo Sanctæ Praxedis.*

XXXIII. Sabinenſium Epiſcoporum Sedem eo loci conſtitutam, quod Forinovi Epiſcopium etiam nunc dicitur, vulgo *il Veſcovio*; Antea Sancto Euthymio Sacrum, poſtea Deiparæ Virgini; Ab Alexandro VI. P. M. ad oppidum Manlianum primo traductam, a Leo-

Sabinenſium Epiſcoporum ſedes ubi antiquitus conſtituta: Quan-

(2) Balu. Ibidem.

.do Manlianum traducta, & ſtabilita.

Leone poſtea X. ſic reſtitutam priſtino loco, ut Manliano in Civitatis jure confirmato Sabina Provincia in veterem, novamque diviſa, utrique unus eſſet Antiſtes; Cathedrali demum Templo Sanctæ Mariæ Forinovi ruralis ſpeciem repræſentante, cum nulli reperirentur, qui in eo reſidere vellent, univerſum Civitatis jus Manliano reſtitutum legere eſt apud ejus Provinciæ ſcriptores.

XXXIV. Quoniam vero Manliani ſtabilita eſt Cathedra Sabinenſis, cenſeo non importunum de Cathedralis Manlianenſis Templi titulo nonnulla breviter adnotare: præcipue quum Lucentius Lectores monitos eſſe voluerit, fuiſſe in quæſtionem vocatum in cujuſnam honorem Deo dicatum fuerit, Sancti ne *Liberati*, an Sancti *Liberatoris*: Sacræque Congregationis judicio Sancto Liberato adjudicatum. Id quidem verum eſt. Illud tamen debet adjungi, re diligentiori cura poſtea conſiderata, conſultiſque Manlianenſis Eccleſiæ veteribus monumentis, diſcuſſis ambagibus, tandem fuiſſe compertum, Sanctum *Liberatorem* Epiſcopum, & martyrem, non Sanctum Liberatum eum eſſe, ad cujus honorem Templum illud antiquis temporibus Deo fuerat excitatum. Etenim, ut omittam Manlianenſium Patronum habitum ſemper fuiſſe & Martyrem, & Epiſcopum; in nullo autem ex veteribus Martyrologiis, in nullis Sanctorum Actis reperiri Sanctum aliquem nomine *Liberatum*, qui ſimul & Martyr fuerit, & Epiſcopus; Contra vero Sanctum *Liberatorem* utraque prærogativa præclarum hic in Italia Beneventanam, ſeu potius Arianenſem nobis proponere Eccleſiam: Ut id inquam omittam, in ipſa Cathedralis Templi Manlianenſis antiqua fronte Sancti *Liberatoris* nomen ab antiquiſſimo tempore legitur in lapide ſupra limen: Ejuſque antiqua effigies in apſide viſitur Pontificalibus indumentis orna-

Cathedralis Manlianenſis Eccleſia, in qua nunc eſt ſedes Epiſc. Sabinenſis, in cujus honorem Deo fuerit dedicata: Sancto ne Liberato, an Sancto Liberatori.

Manlianenſium Patronus Sanctus *Liberator* Epiſc. & Martyr, non Sanctus *Liberatus*.

ta

ta cum palma martyrii. De *Sancto* præterea *Liberatore*, & non *Liberato Manlianenſium Patrono*; de Parrochiali *Sancti Liberatoris* Templo in oppido Manliani; de Collegiata Sancti *Liberatoris* ibidem; De Templo ſub invocatione *Sancti Liberatoris Epiſcopi*, *& Martyris* plura ſunt Summorum Pontificum diplomata Pii II., Alexandri VI., Leonis X., & Julii III. (1). In iis quidem, quæ recenter edita ſunt, ſicuti in illis, quæ ſunt apud Ughellium, legitur quidem Sancti *Liberati* nomen, non Sancti *Liberatoris*. Vitiata tamen ſunt, nomine commutato. In Autographis vero, quæ in Tabulariis Sedis Apoſtolicæ conſervantur, quæque ex illis eruta ſunt per Dominicum Macrium, atque vulgata anno 1672. (2), nomen legitur Sancti *Liberatoris*, non Sancti *Liberati*: Quemadmodum a ſe in apoſtolicis iiſdem litteris expenſum fuiſſe, & lectum teſtatur Illmus, & Rmus Dominus Ludovicus de Valentibus *Promotor* olim *Fidei* nunc *Supremæ Romanæ Inquiſitionis Aſſeſſor* diligentiſſimus (3). Antiquis Manlianenſis Eccleſiæ monumentis, & Apoſtolicis Summorum Pontificum Litteris hiſtoricorum teſtimonia reſpondent. Filippus Ferrarius de Templo *Sancti Liberatoris*, ejuſdemque reliquiis Manliani in Sabinis mentionem facit (4). Mutius Vipera Archidiaconus Beneventanus (5): Bollan-

(1) Conſule Dominicum Macrium poſt diſſert., cui titulus *Conjecturæ, & obſervat. de Sabinenſi Epiſcopatu*.

(2) Ibidem.

(3) In diſſert. ſupra Sanctorum Officiis pro Sabina Diœceſi, ubi de Sancto Liberato Epiſcopo, & Martyre num. 2. & ſeqq: Sacræ Rituum Congregatione propoſita.

(4) In Catal. Sanctorum, quorum nomina non leguntur in Martyrol. Romano edito anno 1625. & in Catal. SS. Ital. ad diem 15. Maii.

(5) In Catal. SS., qui in Eccl. Benev. coluntur edito anno 1635., ubi de Sancto Liberatore Epiſc. Arianenſi, & Martyre.

landiani (1): Breviarium Eccleſiæ Beneventanæ (2) de *Sancto Liberatore* Epiſcopo, & Martyre ea ipſa die 15. Menſis Maii mentionem faciunt, qua Manliani de eodem ſolemne agitur feſtum.

Unde quæſtionis origo.

XXXV. Cadente decimo ſexto ſæculo corrupto paulatim a vulgo vocabulo, qui prius Sanctus *Liberator* dicebatur, Sanctus *Liberatus* a Manlianenſibus dictus eſt. Huic malo aliud acceſſit in eo ſitum, quod quamvis in aliquibus ejuſdem Eccleſiæ monumentis ſuperiori, & ea ipſa ætate confectis Sanctus *Liberatus*, ſeu qui ſic dicebatur, Epiſcopi ſimul, & Martyris titulis non fraudetur, alia tamen monumenta non deſunt, in quibus vel utraque, vel alterutra prærogativa deſideratur (3). Hinc factum eſt, ut oblivioni datis veteribus monumentis; Epiſcopali Sancti Martyris dignitate in pluribus monumentis ſilentio præterita; Sancti *Liberati* nomine ex corrupto vocabulo apud Populum invaleſcente, excitatum fuerit dubium, utrum a S. *Liberatore*, an a Sancto *Liberato* Manlianenſe Cathedrale Templum denominationem acciperet. Re ad Sacram Congregationem deducta, cum nemo tunc eſſet, qui inveſtigaret antiqua, productis ſolum recentioribus aliquot monumentis pro Sancto *Liberato* judicium prodiit die 2. Septembris anno 1679., quod poſtea ab Innocentio XI. confirmatum fuit die 30. ejuſdem menſis.

XXXVI. Huic nominis mutationi illud etiam cauſam dediſſe creditum eſt, quod Reliquiis Sancti *Liberatoris* Epiſcopi, & Martyris furto ſublatis anno 1582., ſuppoſitæ fuerint aliæ cujuſdam Sancti *Liberati* prorſus ignoti, quæ fortaſſe eductæ fuerunt ex aliquo Sanctorum

(1) In actis SS. menſis Maii ad diem 15.
(2) Pag. 36.
(3) Ex actis general. Viſit. Templi Manlian. habit. annis 1572. 1576. 1580. 1586. 1601. 1661.

Digitized by Google

ſtorum Martyrum Cœmeterio, diſtinctæque, ut ſolet, nomine Sancti *Liberati* extrahentis, & diſtribuentis arbitrio. Has ab Eremitanis Fratribus Sancti Auguſtini apud Montem Flaſconem Manlianenſes habuiſſe, ex authenticis litteris conſtat, quæ etiam nunc in Tabulario Manlianenſis Eccleſiæ ſervantur. Sed cum hæ ipſæ Sancti *Liberati* Reliquiæ e capſula ſigillis obſerata fuiſſent fortuito eductæ, & cultu deſtitutæ, *Petrus Cardinalis Ottobonus* Sabinenſis Epiſcopus, ut Sanctum *Liberatorem* ſedi ſuæ, & cultui priſtino reſtitueret, novas Sancti *Liberatoris* Epiſcopi, & Martyris Arianenſis, ejus ipſius, qui ab antiquiſſimo tempore fuiſſe creditur Manlianenſium Patronus, Reliquias obtinuit a Cardinali Nicolao Coſcia Beneventanam Eccleſiam tunc moderante [Beneventi enim in Templo Sanctæ Sophiæ Corpus ejuſdem colitur]; Eaſdemque litteris ſuis, Sigilloque rite munitas ſequenti diſtinxit Epigraphe = *Sancti Liberatoris Epiſcopi*, & *Martyris*.

XXXVII. Quoniam exponenda nunc eſt Epiſcoporum Sabinenſium ſeries caſtigata, Lectorem cenſeo præmonendum, duxiſſe me a *Foronovanis* exordium. Quid enim principium eorum a *Curenſibus* repetam, ſicuti fecit Ughellius, cum hi *Nomentanis* acceſſerint ſæculo ſexto? aut a Nomentanis, qui *Foronovanis* adjuncti ſunt ſæculo undecimo? *Foronovani* ii ſunt uni, qui, cum parem jactent antiquitatem cum Curenſibus, & Nomentanis, ad hæc uſque tempora perdurarunt, converſo ſolum in *Sabinenſes* nomine, & ſede alio translata, ut obſervavimus.

Sabinenſium Epiſcoporum ſeries a Foronovanis repetenda, & exordienda, non a Curenſibus, aut Nomentanis.

UGHEL-

Digitized by Google

UGHELLIANA,

Epiſcoporum Sabinenſium Series.

1 Tiberius.
2 Dulcitius
3 Julianus
4 Borſus, qui Bonus (1)
5 Joannes I.
6 Martianus
7 Tonſo, qui & Tiſſo, & Teuſſo, & Tiriſſo
8 Theodorus I. (2)
9 Theodorus II.
10 Gregorius I. (3)
11 Sergius
12 Leo (4)
Joannes ex Macrio (5)
13 Gregorius II.
14 Joannes II.
15 Benedictus
16 S. Laurentius (6)

17 Ray-

(1) De eo vide ſupra num. XIV.
(2) De eo vide ſupra num. XVIII.
(3) De eo vide Lucent. in notis.
(4) De eo vide ſupra num. XIX.
(5) De eo vide ſupra num. XX.
(6) De eo vide ſupra n. XI., & ſeq.

UGHELLIANA

Epiſcoporum Sabinenſium Series emendata.

1 Paulus
2 Aſterius
3 Projectitius
4 S. Laurentius (1)
5 Joannes I. (2)
6 Martianus
7 Tonſſo, qui &c.
8 Petrus (3)
Iſſa (4)
9 Theodorus
10 Samuel
11 Sergius
12 Gregorius
13 Joannes II. (5)
14 Benedictus (6)
15 Raynerius (7)
16 Joannes III. (8)
Dodo (9)

17 Jo-

(1) De eo vide ſupra. n. XI & ſeq.
(2) De eo vide ſupra num. IV.
(3) De eo vide ſupra num. XV.
(4) De eo vide ſupra num. XV.
(5) De eo vid. ſupr. n. XX & XXII.
(6) De eo vide ſupra num. XXII.
(7) De eo vide ſupra num. XXIII.
(8) De eo vid. ſupra num. XXIII., & XXV.
(9) De eo vide ſupra num. XXIV.

Digitized by Google

UGHELLIANA

Epiſcoporum Sabinenſium Series.

17 Raynerius (1)
18 Joannes III.
19 Joannes IV. (2)
20 Joannes V.
21 Ubaldus I.
22 Regizo
23 Gregorius III. (3)
24 Domnizo (4)
25 Ubaldus II.
26 Creſcentius Senior
27 Cyntius
28 Creſcentius Junior
29 Conradus de Suburra
30 Gregorius de Suburra
31 Conradus de Vitteles-boch
32 Joannes de S. Paulo
33 Petrus
34 Alebrandinus
35 M. Oliverius
36 Joannes de AbbatisVil-la
37 Gaufridus Caſtillioneus
38 Nicolaus

39 Guil-

(1) De eo vide ſupra num. XXIII.
(2) De eo vide ſupra num. XXVII.
(3) De eo vide ſupra n. XXVIII.
(4) De eo vide ſupra n. XXVIII.

UGHELLIANA

Epiſcoporum Sabinenſium Series emendata.

17 Joannes IV.
18 Ubaldus I.
19 Regizo (1)
Willelmus (2)
20 Ubaldus II. (3)
21 Creſcentius Senior
22 Cyntius
23 Creſcentius Junior
24 Conradus de Suburra
25 Gregorius de Suburra
26 Conradus de Witteles-boch
27 Joannes de ſanctoPaulo
28 Petrus
29 Alebrandinus
30 M. Oliverius
31 Jo. de Abbatis Villa
32 GaufridusCaſtillioneus
33 Nicolaus
34 Guillelmus
35 Petrus de Bar
36 Joannes
37 Vido Groſſus
38 Bertrandus

G 41 Joan-

(1) De eo vide ſupra num. XXVIII.
(2) De eo vide ſupra n. XXXI.
(3) De eo vide ſupra n. XXXI.

UGHELLIANA		UGHELLIANA	
Epiſcoporum Sabinenſium Series.		*Epiſcoporum Sabinenſium Series emendata.*	
39	Guillelmus	39	Joannes Vicecomes
40	Petrus de Bar	40	Gerardus Blanchus
41	Joannes	41	Petrus
42	Guido Groſſus	42	Arnaldus Falguerius
43	Bertrandus a S. Martino	43	F. Villermus
44	Joannes Vicecomes	44	F. Matthæus Urſinus
45	Gerardus Blanchus	45	Petrus Gomeſii
46	Petrus	46	Bertrandus Deucius
47	Arnaldus Falguerius	47	Ægidius Carillius Albornotius
48	F. Willermus Petri de Godino	48	Willermus de Agrifolio
49	F. Matthæus Urſinus	49	Philippus de Cabaſſole
50	Petrus de mortuo mari (1)	50	Joannes de Bronſaco
51	Petrus Gomeſii de Barroſſo	51	Hugo de Monte legum *Petrus de Sortenago Pſeudo Ep.*
52	Bertrandus Deucius	52	Philippus de Alenſonio *Jacobus de Aragonia Pſeudo Ep. Bertrandus de Chanaco Pſeudo Ep. Joannes Blandinus Pſeudo Ep.*
53	Ægidius Carillius Albornotius	53	Franciſcus Carbonus
54	Willermus de Agrifolio	54	Henricus Minutulus
55	Philippus de Cabaſſole	55	Petrus Fernandi Frias
	56 Joan-		56 Fran-

(1) De eo vide ſupra num. XXXII.

UGHELLIANA

Epiſcoporum Sabinenſium Series.

56 Joannes de Bronſaco
57 Hugo de monte Legum
58 Petrus de Sortenago
59 Philippus de Alenſonio
60 Jacobus de Aragonia
61 Bertrandus de Chanaco
62 Franciſcus Carbonus
63 Henricus Minutulus
64 Petrus Fernandi Frias
65 Franciſcus Landus
66 Jordanus Urſinus
67 Branda Caſtillioneus
68 Beſſarion
69 Amadeus Sabaudus
70 Iſidorus
71 F. Joannes de Turrecremata
72 Latinus Urſinus
73 Alanus Coetinus
74 Berardus Herulus
75 Oliverius Caraffa
76 Hieronymus Baſſus Roboreus
77 Raphael Riarius (1)
78 Jo. Antonius de S. Georgio
79 Ber-

(1) De eo vide Lucent. ad hunc num. in ſua Ser. LXXIV.

UGHELLIANA

Epiſcoporum Sabinenſium Series emendata.

56 Franciſcus Landus
57 Jordanus Urſinus
58 Branda Caſtillioneus
59 Beſſarion
60 Amadeus Sabaudus
61 Iſidorus
62 F. Jo. de Turrecremata
63 Latinus Urſinus
64 Alanus Coetinus
65 Berardus Herulus
66 Oliverius Caraffa
67 Hieronymus Baſſus Roboreus
68 Raphael Riarius
69 Jo. Antonius de S. Georgio
70 Bernardus Carvajalis
71 Franciſcus Soderinus
72 Nicolaus Fliſcus
73 Alexander Farneſius
74 Antonius de Monte
75 Petrus Accoltius
76 Jo. Dominicus de Cupis
77 Bonifacius Ferrerius
78 Laurentius Campegius

G 2 79 An-

Digitized by Google

UGHELLIANA

Epiſcoporum Sabinenſium Series.

79 Bernardus Carvajalis
80 Franciſcus Soderinus
81 Nicolaus Fliſcus
82 Alexander Farneſius
83 Antonius de Monte
84 Petrus Accoltius
85 Jo. Dominicus de Cupis.
86 Bonifacius Ferrerius
87 Laurentius Càmpegius
88 Antonius Sanſeverinas
89 Antonius Puccius
90 Joannes Salviatus
91 Joannes Petrus Caraffa
92 Franciſcus Tournonius
93 Robertus de Lancourt
94 Joannes Moronus
95 Chriſtophorus Madrutius
96 Alexnder Farneſius
97 Raynutius Farneſius
98 Jo. Michael Sarracenus
99 Jo. Baptiſta Cicada
100 Otho Thruſches
101 Julius Roboreus
102 Joannes Riccius
103 Scipio Rebiba

104 Joan-

UGHELLIANA

Epiſcoporum Sabinenſium Series emendata.

79 Antonius Sanſeverinas
80 Antonius Puccius
81 Joannes Salviatus
82 Jo. Petrus Caraffa
83 Franciſcus Tournonius
84 Robertus de Lancourt
85 Joannes Moronus
86 Chriſtophorus Madrutius
87 Alexander Farneſius
88 Raynutius Farneſius
89 Jo. Michael Sarracenus
90 Jo. Baptiſta Cicada
91 Otho Thruſches
92 Julius Roboreus
93 Joannes Riccius
94 Scipio Rebiba
95 Jacobus Sabellus
96 Jo. Antonius Sorbellonius
97 Antonius Pernottus
98 Innicus Davalos
99 Ptolomæus Gallius
100 Gabriel Paleottus
101 Ludovicus Madrutius
102 Hieronymus Ruſticuccius
103 Simon Talliavia

104 Fran-

Digitized by Google

UGHELLIANA

Epiſcoporum Sabinenſium Series.

104	Joannes Sabellus
105	Jo. Antonius Sorbellonius
106	Antonius Pernottus
107	Innicus Davalos
108	Ptolomæus Gallius
109	Gabriel Paleottus
110	Ludovicus Madrutius
111	Hieronymus Ruſticuccius
112	Simon Talliavia
113	Franciſcus Giojoſa
114	Antonius Saulius
115	Benedictus Juſtinianus
116	Petrus Aldobrandinus
117	Odoardus Farneſius
118	Bonifacius Bevilaqua
119	Carolus Madrutius
120	Scipio Burgheſius
121	F. Felix Centinus
122	Franciſcus Cenninus
123	Carolus Medices
124	Franciſcus Barberinus
125	Bernardinus Spada
126	Julius Sacchettus
127	Martius Ginettus

128 Fran-

UGHELLIANA

Epiſcoporum Sabinenſium Series emendata.

104	Franciſcus Giojoſa
105	Antonius Saulius
106	Benedictus Juſtinianus
107	Petrus Aldobrandinus
108	Odoardus Farneſius
109	Bonifacius Bevilaqua
110	Carolus Madrutius
111	Scipio Burgheſius
112	F. Felix Centinus
113	Franciſcus Cenninus
124	Carolus Medices
115	Franciſcus Barberinus
116	Bernardinus Spada
117	Julius Sacchettus
118	Martius Ginettus
119	Franciſcus Maria Brancatius
120	Julius Gabriellius
121	Nicolaus Ludoviſius
122	Petrus Ottobonus
123	Carolus Pius
124	Palutius Alterius
125	Jo. Nicolaus de Comitibus
126	Gaſpar Carpineus
127	Fulvius Aſtallius Romanus quum Sacram Purpuram ſuis meritis debitam induiſ-

Digitized by Google

Epiſcoporum Sabinenſium Series.

128	Franciſcus Maria Brancatius
129	Julius Gabriellius
130	Nicolaus Ludoviſius
131	Petrus Ottobonus
132	Carolus Pius
133	Palutius Alterius
134	Jo. Nicolans de Comitibus
135	Gaſpar Carpineus
136	Fulvius Aſtallius

Epiſcoporum Sabinenſium Series emendata.

induiſſet Innocentio XI. P. M. conferente, & Legationes Urbinatenſem, Æmiliæ, Ferrarienſem magna integritatis, & prudentiæ laude temporibus difficilibus obiviſſet, Infulam Sabinenſem a Clemente XI. P. M. accepit decimo tertio kal. Majas anni 1714. Poſt hanc Eccleſiam caſte, & liberaliter adminiſtratam ad annum uſque 1719. deductus eſt ad Oſtienſem, atque Veliternenſem.

128 Franciſcus Cardinalis Pignatellus Patritius, & Archiepiſcopus Neapolitanus a Clemente XI. P. M. ad Sabinenſem vocatus Eccleſiam ſexto kal. Majas anni 1719. ab eodem obtinuit, ut Neapolitanam eodem tempore procuraret. Omnibus ſtatim perluſtratis, & cognitis, quæ perluſtranda fuerant, & cognoſcenda, iiſque ad diſciplinam Eccleſiaſticam caſtigatis, quæ ab illa viderentur jam dilapſa fluxiſſe, Petro Aloyſio Caraffæ ſuo ex ſorore Nepoti, de cujus vigilantia, Religionis ſtudio, prudentiaque non exigua habuerat argumenta, regendæ Diœceſis onus impoſuit; quo interim ipſe Neapolim cogitaret, ampliſſimi illius gregis curam proſequuturus. Itaque quum Epiſcopalem hanc ſedem ad annum uſque tenuiſſet 1724., ad Tuſculanam progreſſus eſt.

129 Franciſcus Cardinalis de Aquaviva Neapolitanus Patritius ad ſedem Sabinenſem implendam accitus eſt decimo quinto kal. Majas anni 1724. Acerbiſſimis podagræ doloribus perpetuo impeditus Sponſam ſuam nequidem inviſere potuit. Octavo enim,

a quo

a quo factus fuerat Epiſcopus, menſe e vivis ereptus eſt, atque in Templo Sanctæ Ceciliæ ſibi commendato ab ſe elegantiſſime ornato tumulatus.

130 Petrus Cardinalis Ottobonus Patritius Venetus Alexandri VIII. P. M. ex Fratris filio Pronepos, & Romanæ, ut inquiunt Ecclefiæ *Procancellarius* Cathedram Sabinenſem aſcendit die 29. Januarii anni 1725. Maximis publiciſque impeditus in Romana Curia negotiis, Sponſæ tamen ſuæ non immemor in ejus amplexus frequentiſſime convolabat: & ut erat animo plane magnifico, & liberali, eam ſplendide muneratus eſt, ornavitque. Vaſa illi aurea, & argentea plurima; Thecas & Capſulas ad cuſtodiendas Sanctorum Reliquias ex argento non paucas; orbitas duas prægrandes ex eodem metallo gemmiſque pretioſas, in quarum altera vivificæ Crucis particula cuſtodiretur, in altera vero Chriſtus ipſe proponeretur Fidelibus adorandus; Candelabra argentea duodecim; Aulæum Throni Epiſcopalis laciniis aureis circumornatum; veſtes ſacrificas, aliaſque ſacras ad omnem uſum multas, quarum quæ minoris pretii oloſericæ, multæ auro, vel argento contextæ; Cenſus etiam, quo Templum ipſum inſtauraretur, conſtitutus. Hinc Canonicorum Collegium grati animi ergo ſequens monumentum in eodem Templo perpetuo eſſe voluerunt.

D. O. M.
Petro Epiſcopo Sabinenſi
Cardinali Ottobono
S. R. E. Vice Cancellario
Quod
Cathedralem hanc Eccleſiam
Paſtoralibus perfunctus muniis
Majeſtate repleverit
Sanctorum Reliquias argenteis Thecis
Lignum Crucis & Panem Euchariſticum

Orbitis

Digitized by Google

Orbitis pretioſioribus exornans
Alioſque complures ornatus
Argento auroque contextos
Ducentum inſuper annuæ penſionis ſcuta
Pro ejuſdem Fabrica elargiendo
Magnanimitate ditaverit
Capitulum & Canonici
Memoriæ nunquam interituræ
M. P. P.
Anno Salutis MDCCXXVIII.

In epiſcopalibus etiam ædibus, quas, quod ruinam minarentur, Petrus inſtaurandas, amplificandaſque ſuſceperat, Antonius Maria Sanctorius Epiſcopus Samariæ Vicarias ejuſdem partes exercens lapidem poſuit cum hac inſcriptione.

D. O. M.
Petro Cardinali Ottobono
Epiſcopo Sabinenſi
S. R. E. Vice -- Cancellario
Alexandri VIII. P. O. M.
Pronepoti
Et in hujus Diœceſis munere ſucceſſori
Quod
Cathedralem Eccleſiam pretioſa ſupellectile
Et tercentorum ſcutorum cenſu
Uſque dum vita ſuppetet

Quot-

Quotannis pendenda locupletaverit
Vetuſtaſque Epiſcopatus Ædes
In ampliorem formam redactas
Decentiſſime inſtruxerit
F. Antonius Maria Epiſcopus Samarien.
Suffraganeus & Vicarius generalis
Piis hiſce operibus exequendis ſuffectus
Ad perpetuam rei memoriam P. C.
Anno Salutis MDCCXXVIII.

Quum huic Eccleſiæ annis quinque magna ſui cum laude præfuiſſet, Quintili menſe anni 1730. Tuſculanæ Præfectus ab ea ſummo omnium dolore diſceſſit.

131 Annibal Albanus Urbinas, quum a Clemente XI. P. M., cujus erat ex Fratre Nepos, probatæ difficillimis muneribus temporibuſque Fidei, Probitatis, Integritatis, Prudentiæ præmium ſacram purpuram retuliſſet in ampliſſimum Collegium adſcitus, & Ærario Apoſtolico cum ſumma auctoritate præpoſitus (*Camerarium* vocant) votis communibus ſatisfeciſſet, ſummo Sabinenſi Sacerdotio ornatus fuit IX. kal. Auguſti anni 1730. a Clemente XII. P. M., a quo illi permiſſum eſt, ut titulum Sancti Clementis *Commendatarii* nomine retineret. Novam hanc Eccleſiaſticam Præfecturam, qua ceteras ſolitus fuerat, aſſiduitate, ſtudio, diligentia adminiſtravit, Diœceſi luſtrata vel per ſe, vel per Adminiſtros ſibi cognitos, & probatos: miſſis non raro ſumptibus ſuis Apoſtolicis viris, qui populorum mores ad Evangelii regulam emendarent: celebrataque ſaluberrima ſynodo anno 1736., quæ Typis deinde vulgata Eccleſiaſticorum omnium manibus circumfertur. Præſertim vero quum intelligeret, adoleſcentes ſi probi ſint, litteriſque & Religione exculti, rebus felicibus futuram eſſe Rempublicam, de iis optime inſtituendis ſedulo cogitavit. Itaque Seminarii ædes hac mente amplificandas, perficiendaſque

curavit, ut ſequens notat inſcriptio in Seminarii fronte locata.

Seminarium
A Petro Card. Ottobono Sabin. Epiſcopo
S. R. E. Vicecancellario
Inſignibus beneficiis auctum
Annibal Card. S. Clementis
S. R. E. Camerarius
In Epiſcopatu ſucceſſor
Perfecit.

Accitis poſtea magnis præmiis, beneficiiſque viris probis, & eruditis, quibus ad honeſtatem, ad bonas artes, ad eccleſiaſticam diſciplinam Alumni, quique illuc confluerent Juvenes, informarentur, brevi factum eſt, ut Seminarium Manlianenſe & ſtudioſorum frequentia & ſtudiorum commodo & magiſtrorum virtute celebraretur. Plura etiam & grandia munificentiæ præbuit argumenta. Epiſcopales ædes perfectæ, omniquæ, quæ Cardinalem deceret Epiſcopum, ſupellectili inſtructæ: Cathedrale Templum tabulis marmoreis atque egregie elaboratis ornatum: Idem ſacris ad omnem uſum veſtibus, & pretioſis aulæis locupletatum: Ædes Epiſcoporum Suffraganeorum commodo a fundamentis excitatæ: *Mons*, ut vulgo dicitur, *Pietatis* ſublevandæ egenorum inopiæ fundatus, mille Philippeis ex aſſe ſuo ad id conſtitutis: annua quinquaginta ſcutata ad eum uſum converſa, ut egenis ægris hominibus Pharmaca gratuito traderentur: demum ſupra triginta argenteorum millia in Sabinenſis Diœceſis commodum, utilitatemque large donata. De augendo etiam Eccleſiæ ſuæ ſplendore quum cogitaſſet, multa perfecit. Reſtituto enim honorificentiori Sanctorum Sabinenſium virorum cultu, Miſſam illis propriam, & Officium a Sacra Rituum Congregatione impetravit. Præterea de ve-

de veteri ad novum Cathedrale Templum cum *Primiceriatus* dignitate, tum etiam alio Canonicatu tranſlatis; impetrataque a Benedicto XIV. P. M. facultate, ut Canonici ſuperpelliceo, pallioloque quaſi Præſulum more impoſterum uterentur, non leve Cathedralis ejuſdem Templi Collegio decus attulit, & incrementum. Pro ſuo denique erga Eccleſiam Sabinenſem amore ſuum ſibi ſepulchrum in Cathedrali eodem Templo ſelegit, hoc uno apponi juſſo in lapide monumento: *Oſſa Annibalis Epiſcopi Cardinalis S. Clementis: Orate pro eo*: Teſtatus ibidem ſepelliri ſe velle, etſi, ea dimiſſa, alteram Eccleſiam adminiſtrandam ſuſciperet. Quod tamen ex cauſa mihi hactenus incomperta aliter contigit. Itaque tot, tantiſque beneficiis cumulati Canonici Manlianenſes, ut ſe gratias referre, & habere ſignificarent, ſingulis quibuſque annis a ſexdecim Sacerdotibus pro amantiſſimi Paſtoris anima litari voluerunt ſolenni parato funere decimo ſeptimo kal. Septembris, qua die Sabinenſem Eccleſiam ritu publico accepit adminiſtrandam. Anno 1743. ad Portuenſem migravit Eccleſiam omnibus eum lacrymis proſequentibus.

132 Vincentius Cardinalis Bichius Patritius Senenſis a Benedicto XIV. Pontifice Max. ornatus eſt Sabinenſi Pontificatu die 13. Septembris anni 1743., quem quum annis quatuor prudenter, & magno Religionis ſtudio obiviſſet, cum Tuſculano mutavit anno 1747.

133 Raynerius Cardinalis de Ilcio Patritius Senenſis, quum ſe ab Eccleſia Ferrarienſi annis Superioribus abdicaviſſet, a Benedicto XIV. Sabinenſi Eccleſiæ præficitur decimo nono kal. Majas anni 1747. Impoſitum ſibi Sacerdotii hujus onus ita ſuſtinuit, ut, quum anno 1753. ad regendam Portuenſem Eccleſiam tranſire deberet, magnus in Populo Sabinenſi excitatus fuerit dolor. Nam & frequenter eum inviſere in more habuit, paternaque charitate complecti: & profuſis large eleemoſinis pauperibus opitulari: & ſacra Templa ſplendori ſuis ſumptibus reſtituere: & pios viros deſtinare, qui Diœceſim excurrerent, ſacriſque concionibus ad pietatem populos inflammarent: & ſiquid eſſet, quod a ſacris canonibus videretur alienum, ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulas revocare: eaque omnia religioſius adimplere, quæ mu-

 neri

neri Epiſcopali obeundo, gregique in viam Domini dirigendo vel neceſſaria vel opportuna cognoſceret. Seni piiſſimo, Paſtori olim ſuo vigilantiſſimo, liberali, munifico ad Portuenſem prius, inde ad Oſtienſem translato, etiamſi tanto deſtituta ſolatio multos annos, eoſque felices Sabinenſis precatur Eccleſia: ejuſque votis tum Roma, tum univerſus Chriſtianus orbis plaudit, & favet.

134 Silvius Valenti nobili genere natus Mantuæ poſt exercitum integre prudenterque Prætoris munus in aliquot urbibus Pontificiæ ditionis, obitaſque feliciter legationes Helveticam, & Hiſpanienſem in ampliſſimum Cardinalium Collegium adſcitus eſt a Clemente XII. P. M. die Decembris decima nona anni 1739: & a Benedicto XIV. Eccleſiæ Sabinenſi præfectus Epiſcopus die Aprilis nona anni 1753. Ut erat Summo Pontifici primus a latere, & ſecretiori conſilio: reſque omnes, quæ ad imperium pertinebant, pro eodem adminiſtrabat (*Secretarium ſtatus* dicunt): Multis præterea Præfecturis occupatus, eaque potiſſimum, qua pecuniæ publicæ præerat cum ſumma auctoritate (*Camerarium* vocant), tot tantiſque diſtentus in aula muneribus per ſe met ipſum curam gerere Sponſæ ſuæ non potuit. His graviſſimus morbus acceſſit, quo toto Epiſcopatus ſui tempore conflictatus ſic eſt, ut pene omnem agendi amiſerit libertatem. Quum tamen eam diligeret vehementer, quam per ſe minime poterat, per egregios, atque probatos viros operam illi impendendam curavit. Epiſcopalem cenſum in ejus utilitatem convertit, & commodum. In oppido *Moriconi* quum recens excitatum eſſet Sacrarum Virginum Aſceterium, ad earum ædes amplificandas duo argenteorum millia liberali ſumptu ſuppeditavit. In oppido *Ponticelli* quum Curiale Templum inſtauraretur, collata pecunia ſumptuum particeps eſſe voluit. Ad Alumnorum in Seminario degentium inſtitutionem pietate, & litteris multus incubuit, plura facturus, ſi vel fuiſſet vita diuturnior, vel curis minoribus occupatus, vel morbo ſaltem leviori affectus. Viterbium profectus ad calidas mortem oppetiit quinto kal. Septembris anni 1756. Ejus corpus elatum in Cathedrali deductum eſt Romam: & in æde Sancti Bonaventuræ Franciſcanorum ſtrictioris obſervantiæ

vantiæ in Palatio, in qua vivens ſibi ſepulcrum paraverat, tumulatum.

135 Joachimus Ferdinandus Portocarrero ex ampliſſima neminique non nota familia Matriti natus, quum ab ipſa adoleſcentia ſummis honoribus, atque dignitatibus in Aula Regum operam dediſſet, eoque progreſſus eſſet, ut non magis avita, quam ſua virtute, gloriaque clareſceret: (Summi enim Ducis, & Proregis perſonam egregie ſuſtinuit non uno in regno cum magna ſui nominis celebritate); converſo repente conſilio nova ſtatuit in Caſtris Eccleſiæ mereri ſtipendia virtutis. Dato igitur Eccleſiaſticæ militiæ nomine Romam venit: ubi, quum Probitatis, Æquitatis, Religionis, Prudentiæ egregia præberet omnibus argumenta, brevi Antiochenus Patriarcha a Clemente XII. dictus eſt: & a Benedicto XIV. ex Patriarcha in ampliſſimum collegium adſcitus: & tandem duodecimo kal. Octobris anni 1756. ab eodem Sabinenſi Eccleſiæ datus Epiſcopus. Quo animo hanc novam ſuſceperit Præfecturam, & quam in ea obeunda rationem ſibi præſcripſerit, ex eo ſtatim aperte ſignificavit, quod quum multa eſſent Romæ loca religioſa, quæ de ipſius patrocinio ſibi prudentiſſime conſuluerant, eiſdem remiſit nuncium, ut ab eorum cura ſolutus diligentiam omnem, omnem operam, omnes cogitationes in ea recte adminiſtranda unice collocaret. Votorum vero ſuorum compotem ſe nunquam futurum ratus, niſi & oves cognoſceret, & cognoſceretur ab ovibus: niſi univerſa Diœceſis loca, Templa, conſuetudines, inſtituta probe calleret: niſi de Clericorum, Sacerdotum, Rectorumque Eccleſiarum moribus, doctrina, Religione, diſciplina fieret certior, Diœceſim univerſam ſtatim peragrandam, & diligentiſſime perluſtrandam ſibi propoſuit ſuis met oculis perſpecturus, quo in ſtatu ſui gregis res verſarentur. Itaque pene nullus eſt locus adeo impervius, & inacceſſus, quo non adiverit, vel ſiquis eſt, adire, ut primum ipſi fuerit liberum, non conſtituerit. Quocumque autem perrexerit, ubique videre eſt Munificentiæ, Pietatis, Vigilantiæ, Largitatis præclara veſtigia: ubique pravas conſuetudines de medio ſublatas: diſciplinam eccleſiaſticam vel reſtitutam, vel confirmatam:

pia

Digitized by Google

pia impleta teſtamentorum legata: Pauperes largis eleemoſinis ſublevatos: Religioſa loca inſignibus beneficiis aucta: Templa argenteis vaſis, ſacris veſtibus, pretioſa ad uſum Eccleſiaſticum ſupellectile locupletata: Cathedrale imprimis Templum egregiis muneribus cumulatum. Ad hæc quum intelligeret, ſe Romæ publico Eccleſiæ bono morantem aſſiduam Sponſæ ſuæ præſentiam præſtare non poſſe, nihil cogitavit antiquius, quam de Suffraganeo Epiſcopo deligendo, qui apud viros ſummos Romæ diu multumque verſatus omnium opinione adprobaretur, & de cujus doctrina, Religionis ſtudio, integritate, Canonum præcipue, legumque peritia dubitare non poſſet. Ut vero perpetuo Diœceſis bono conſuleret, quod a Clericorum in ſeminario degentium inſtitutione dimanare quam maximum non ignorabat, quo plures in eo recipi poſſent Religione, & bonis artibus informandi, nova illud ædium acceſſione amplificavit. Quas igitur ædes Annibal Cardinalis Albanus olim Epiſcopus prope Seminarium Suffraganeorum commodo excitaverat, Alumnis permiſit impoſterum incolendas: novaſque prope epiſcopales ſumptibus ſuis a fundamentis erexit, quibus Suffraganei impoſterum uterentur. Epiſcopo vigilantiſſimo, religioſiſſimo, munificentiſſimo multos annos, eoſque felices Sabinenſis Eccleſia, Roma, univerſus orbis optat, & adprecatur.

FINIS.

Digitized by Google

IMPRIMATUR:

Si videbitur Rmo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici
F. M. De Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Rmi P. Mag. Sac. Palat. Apoſt. Socius.

Digitized by Google

Digitized by Google

005664994

Digitized by Google

Ditta SALVAREZZA s.a.s.
RESTAURO
Via A. Cervi 8 - Roma

Digitized by Google

Digitized by Google